UNIVERSITAS LIBERA REFORMATA AMSTELODAMENSIS.

De Jacobo Geelio philologo classico.

DISPUTATIO LITTERARIA,

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS

H. H. KUYPER,

THEOL. DOCT., IN FAC. THEOL. PROF. ORD.

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITTERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

PUBLICO AC SOLLEMNI EXAMINI SUBMITTET IN AEDIBUS, QUIBUS NOMEN „DE WERKENDE STAND",

ARNOLDUS GERARDUS WIENTJES

RHENO-TRAIECTINUS

DIE III. M. DECEMBRIS MCMIX., HORA III.

LUGDUNI BATAVORUM

APUD VAN DER HOEK FRATRES

MCMIX.

Matri Meae

et

Patris Pii Gratae Memoriae.

Studiis academicis finem impposituro restat mihi, ut vobis, Academiae Liberae Reformatae Professores, quorum disciplina uti per tot annos mihi licebat, meritas gratias agam.

Imprimis tibi, clarissime Iane Woltjer, Promotor aestumatissime, gratias quam maximas ago, quod tu, qui mihi exemplum illustre in literis colendis ante oculos semper fuisti, quamquam multis maximi ponderis officiis distentus benevolentia me devincire, praecipue hoc triennio, haud destitisti.

Tibi, clarissime Geesink, qui in historiae philosophiae studia me induxisti, pro institutione tua et insigni in me benevolentia plurimum me debere libenter profiteor.

Tuas scholas, clarissime Abrahame Kuyper, gratissimo animo recordor semperque recordabor.

Utinam in hoc numero te quoque superstitem alloqui liceret, praestantissime De Hartog, cuius candoris et caritatis singularis memoria semper in animo meo vivet.

Praeterea gratias ago Bibliothecarum nostratium Praefectis, iis imprimis, qui Bibliothecae Academicae Leidensi praesunt, quod tabularium, in quo permultae literae a compluribus viris doctis ad Geelium datae servantur, vel iis horis, quibus Bibliotheca clausa esse solet, a me inspici gravati non sunt.

DE JACOBO GEELIO PHILOLOGO CLASSICO DISPUTATIO LITERARIA.

DISPUTATIONIS DISPOSITIO:

Sectio II. p. 66—113.

De editione Olympici et de Commentario in hanc et in reliquas Dionis Chrysostomi Orationes.

Plagulas recentes a prelo raptim perlustrans p. 31 vs. 20 C. O. Hermannum pro Godofredo scriptum deprehendi. Menda leviora corrigant ipsi mihique condonent ii, qui legent.

P R A E F A T I O.

Anno 1899 W. P. Woltersii filia Johanna in diario, cui nomen est „Noord en Zuid" [1]), de Jacobi Geelii vita et scriptis nonnulla composuit. Quo munere a patre iam ante suscepto [2]) non sine laude illa quidem perfuncta est, sed cum esset ignara linguarum Latinae et Graecae, ea tantum, quae Geel linguis hodiernis scripserat, inspicere ei licuit: de iis, quae in studiis classicis versantur, non potuit iudicare.

De Geelii indole et meritis fusius disputavit a. 1907 M. J. Hamaker [3]) epistularum domesticarum copiis instructa. Quibus adiuta Geelii imaginem distinctius depinxit; propius ad oculos eorum, qui librum legunt, admovit virum clarissimum optime

1) Vol. XXIII. p. 465—512: „Een en ander over Geel".

2) In praefatione editionis quintae libri, qui inscribitur: „Onderzoek en Phantasie, Gesprek op den Drachenfels, Het Proza".

Vitae enarratio, quam Wolters editioni tertiae a. 1871 praemisit, Geelio prorsus indigna est. „Er is", scripsit Potgieter accepta Huetii de Geelio disputatione, „eene Nemesis, ook voor Geel, hij wilde niet uitgeluid worden en nu moet hij zich met een biograaph als Wolters vergenoegen". („Brieven van E. J. Potgieter aan Cd. Busken Huet" vol. III. p. 128.) Ex Woltersii erroribus duos exscribam: p. V. praef. legimus: „Er zijn althans Philologen, die beweren, dat noch zijne (sc. Geelii) verhandeling over de Sophisten, noch zijne bijdragen tot de Bibliotheca Critica, noch iets anders van zijne hand, waar ook te vinden, hem recht geven op eene plaats naast de uitstekendsten in hun vak". Omisit praestantissima Geelii opera! Praef. p. XXII. scripsit: „Geel was vol geestdrift voor de Kunst in het algemeen; een geleerd man, maar toch meer belletrist dan philoloog, aestheticus bovenal". Speciosius quam verius dictum!

3) „Jacob Geel, naar zijn Brieven en Geschriften geschetst", Disputatio Literaria, Lugduni Batavorum apud v. d. Hoek Fratres.

meritum tam de patriis quam de classicis, quae dicuntur, literis, tam de doctrina quam de viris doctis, tam de munere suo quam de amicis.

Perlecta Hamakerae disputatione ea commentatio, quam ipse de Geelio conscribere iam aliquamdiu parabam, cuius causa et de Geelio ipso et de aequalibus eius satis amplam iam collegeram materiam, primo omnino omittenda mihi videbatur; deinde, cum animadvertissem unam partem argumenti, neque eam levissimam, intactam fere esse relictam, in ea parte explicanda quid proficere possem, experiri decrevi, ne Geelii imago, quantum per me staret, maneret imperfecta.

Itaque hoc opusculo nihil aliud agendum mihi proposui, nisi ut Hamakerano operi darem supplementum, sed supplementum necessarium.

Geel enim ante omnia fuit philologus classicus. Quod ut hoc loco iam probem, afferam testimonia et Geelii ipsius et Naberi et Hamakerae.

Iis, qui diarium, cui nomen „de Gids", edendum curabant, m. Oct. a. 1838 Geel haec scripsit [1]: „Ik reken mij door de Recensie [2]) mijner Phantasiën ten hoogste vereerd, doch al te zeer geprezen.... In één ding zijn wij het niet eens: hij wacht meer van de toekomst dan ik. Wat mij betreft, als holl. schrijver kan ik niet blijven optreden: in de kunst kan ik niets leveren; mijne natuur drijft mij steeds tot het d i d a c t i s c h e: zoo ik, door één enkel zaad te strooijen, iets mede toegebragt heb tot — ik weet niet wat, dan ben ik reeds tevreden". Aliquot annis post [3]: „(ik) heb er geen berouw van dat ik van dien uitstap onherroepelijk tot mijne oude studiën teruggekeerd ben".

Naber de Geelio scripsit [4]: „(Geel) bediende zich in zijne geschriften ook van de moedertaal en was door zijn Onderzoek en

1) Hae epistulae asservantur in Bibliotheca Universitatis Amstelodamensis publicae; sunt editae ab Hamakera in diario, cui nomen est „de Gids", a. 1906 vol. II. p. 177—206, p. 418—446.

2) Earum censuram egerat Bakhuizen van den Brink.

3) A. 1849 in epistula ad Beetsium data (cf. Hamakerae Disp. p. 124).

4) „Vier Tijdgenooten" p. 182.

Phantasie bij het groote publiek beter (quam Bake sc.) gekend en gewaardeerd. Men vergat dan wel eens, dat hij in de eerste plaats een classiek philoloog[1]) was van den ouden en deugdelijken stempel".

Hamakera haec habet[2]): „Een beeld van de persoonlijkheid alleen! Ja, ik geef maar half werk. Hoe aanlokkelijk de taak mij scheen om naast een voorstelling van Geel's geest en karakter ook te streven naar een waardeering van hem als kunstenaar — ik heb die taak laten liggen, omdat zij mij nog te zwaar is. Misschien zal ik later moed vatten. Onder het bewerken van de aldus beperkte stof, moest ik mij toch al dikwijls genoeg bekennen, dat ik te veel had aangedurfd. — Geel was klassiek philoloog[1]), aan die studie wijdde hij een belangrijk deel van zijn leven — ook hierin openbaarde hij zijn persoonlijkheid. Op dit terrein voelde ik mij niet tehuis; wel heb ik getracht mij door het lezen van voorredes etc. een inzicht in het philologisch streven van Geel te verwerven".

Itaque, cum Geel ante omnia fuerit philologus classicus, sequitur, ut imprimis cognoscenda sint studia eius classica. His neglectis habebimus imaginem imperfectam, pace Hamakerae dixerim.

Geelii indolem mea quidem opinione optime illa praesertim ex epistulis evolvit[3]).

Mihi satis erit pro virili parte demonstrasse id quod et Woltersia et Hamakera pro demonstrato sumpsit: Geelium fuisse praestantissimum philologum, defendisse methodum antiquam

---

1) Ego insigniore literarum forma hoc exprimendum curavi.

2) Praef. p. XIV.

3) Praeter duas librorum recognitiones a. 1827 a Geelio habitas in diario, quod inscribitur „Alg. Konst- en Letterbode" (vol. II. p. 78—79 „Onbehendige Letterkaperij"; p. 330—334 „Bijzonderheden de Familie Hemsterhuis betreffende"), orationem parvam in Bakii honorem die festo quodam habitam (legitur in „Rede ter Nagedachtenis van Mr. John Bake" a. 1865 edita, p. 50 sq.) haec Geelii opera philologica in Hamakerae indice desiderantur: epistula ad Emperium data in diario, cui nomen est „Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft", a. 1841 col. 400—408; literae ad Goettlingium datae de Hesiodi quodam fragmento a se emendato (in Goettlingii praefatione Hesiodi Carminum a. 1843 ed. p. LIX—LXI); praefatio Hesiodi Scuti Herculis a Lennepio instructi.

philologorum nostratium eorumque gloriam et honorem, itaque eum bene meritum esse cum de literis tum de patria.

Habes consilium, in quo exsequendo consumpsi per hoc triennium quidquid otii docendi munus mihi permisit.

Duo imprimis sunt Geelii opera, editiones dico quas curavit Dionis Olympici et Euripidis Phoenissarum, ex quibus vel maxime apparet praestantissimum eum fuisse philologum classicum.

Quorum utrique, ut par est, singulas libelli Sectiones cum destinaverim, unam tamen Sectionem praemittam de ceteris eius editionibus, studiis, commentationibus, quae in literis classicis versantur, nec non iis commentariolis, quibus de alienis scriptis philologicis Geel iudicium fecit.

Scripta enim minora, quae praeter illa duo opera praestantissima confecit, minime sunt neglegenda: nam, sicut nemo vir nascitur, sic, quibus ab initiis profectus et quam viam ingressus tandem ad ingenii sui maturitatem vir doctus pervenerit, haud ab re fuerit investigasse.

Accedit, quod Geelii opera non parvi sunt momenti ad cognoscendam studiorum classicorum proximi saeculi tam in nostra patria quam in Germania historiam [1].

---

1) Hac aestate opusculo meo iam ad finem perducto comperi in Tabulario Bibliothecae Leidensis asservari trecentas fere epistulas a viris doctis ad Geelium datas, quas hic interdum parte eorum, quae respondere in animo habebat, „conscribillavit".

Inter amplius centum viros doctissimos, qui cum Geelio per literas commercium habuerunt, sunt: Ahrens, Bergk, Bernays, V. Cousin, Creuzer, L. et W. Dindorfii, Emper, Fleckeisen, Hase, Halm, Haupt, G. et C. F. Hermanni, O. Jahn, L. Kayser, Lachmann, Madvig, Meineke, Th. et T. Mommsen, Munro, Naecke, Niebuhr, Pertz, Ritschl, Schneidewin, Tischendorf, Trendelenburg, Walz, Welcker.

Plerumque de libris manuscriptis, nonnumquam etiam de studiis philologicis egerunt.

Et de re philologica et de philologis, qui tum vivebant, familiarissime ac liberrime scripserunt Lachmann, Naecke, Niebuhr, Ritschl, Schneidewin, Welcker, qui artioribus amicitiae vinculis cum Geelio coniuncti erant.

Epistulas benevolentissimo Praefecti Bibliothecae Leidensis assensu percurrens eas partes descripsi, quas in rem meam alicuius momenti esse arbitrabar. Quas partes quantum potui in notulis adhibui.

SECTIO I.

De Geelii operibus minoribus, quae in studiis classicis versantur.

—

CAPUT I.

QUAE USQUE AD A. MDCCCXXIII AB EO SINT EDITA.

§ 1. Triginta annos natus, a. 1819, Geel primam commentationem de studiis antiquis edidit [1]). Belgice est scripta: „Kort Overzigt van den Loop der Grieksche Letterkunde te Alexandrië; met eene Proeve van het Heldendicht van Apollonius Rhodius over den Argonauten-togt" [2]); recitata est Hagae Comitis in Societate, cui nomen est „Diligentia".

Regno Macedonum deleto narrat viros doctos Alexandriam

1) Fere decem ante annis Geel in Athenaeo Amstelodamensi Praeside Lennepio Professore defenderat novem theses Latine scriptas: est opus iuvenile, non est editum. Memoria dignae videntur quinta: „Xenophonteam illam Cyri Historiam maiore fide dignam esse, quam Herodoteam contendimus" et octava: „Male Socrates e carcere Critonem sequi noluit".

Asservantur hae theses in Bibliotheca Amstelodamensi.

2) Edita est in diario, cui nomen est „Mnemosyne, Mengelingen voor Wetenschappen en Fraaije Letteren", in parte VIII. Mea quidem sententia Hamakera et hanc commentationem et alias („Over den Gang van het Onderzoek in Oude Geschiedenis en Letteren en deszelfs Grenzen"; „Het Blijspel bij de Grieken"; „Over het Delphische Orakel"; nec non „Levensschets van A. H. L. Heeren") inter Geelii scripta philologica enumerare debuit.

confugisse, ibi in otio et pace liberalibus studiis operam dedisse, sed expertes amoris patriae languore quodam et desidia torpuisse. „Zoo neigden,'' ita iudicat, „allengs de Grieksche Letteren ten ondergang. — Maar wenden wij het oog af van deze duisternis! — Immers bestaan zij nog, die laatste spranken van het Grieksche genie. Ziet gij niet, hoe de vonk, nabij het oogenblik harer gansche verdoving, eenen glinsterenden gloed verspreidt? — Zoo is de Argonautentogt van Apollonius misschien de laatste flikkering van den geest zijner eeuw" [1]).

Deinde breviter narratis fatis cum poëtae tum poëmatis tres partes tertii carminis oratione vincta Belgice se reddidisse profitetur.

Omnibus temporibus nostrates laboraverunt morbo, quo Geel quoque sua aetate laboravit [2]), morbum dico versus scribendi.

§ 2. Dolendum est „Theocriti carmina cum Veteribus Scholiis" [3]), quae a. 1820 Amstelodami apud P. den Hengst et Fil. prodierunt, a Geelio esse absoluta, nam ita Geelii nomen coniunctum manebit [4]) cum editione, quae „ad fidem optimarum e d i t i o n u m recensita est", quamquam „Annotationi criticae in Scholia" non nisi 90 paginas adiecit; quae sunt duae fere partes annotationum, quarta pars totius operis.

Ineunte saeculo XIX. J. H. van Reenen Hessii bibliopolae

---

1) l.l. p. 214.

2) De aliis carminibus, quae Geel in vernaculam linguam transtulit, cf. diarium, cui nomen „Taal en Letteren" a. 1891, p. 271.

3) In Wilamowitzii „Textgeschichte der Griechischen Bukoliker" Geeliani operis mentio, ni fallor, non fit.

De Theocrito emendando hoc iudicat Cobet (Novae Lectiones, a. 1858, Praef. p. IV): „Theocriti Idyllia ad pristinam sanitatem revocare nemo fere aut olim potuit aut nunc potest" et l.l. p. VI: „Meinekio prorsus assentior dicenti in Praefatione ad Theocritum „ne ipsum quidem Valckenaerium unum locum difficiliorem ita expedivisse, ut acquiescere possis in ea quam proposuit sententia", sed erit aliquando tempus, quum de Meinekii opera in Theocrito emendando collocata idem iudicium feratur".

4) Cf. „Brieven van Cobet aan Geel" p. 64, ann. 1: „Ook Geel had in 1820 Theocritus uitgegeven". Minus recte; quia nimis breviter.

sumptibus textum Theocriti ad fidem optimarum editionum accuratissime descripturus erat, depravataque emendaturus. „At temporum difficultates (verba sunt Geelii in Praefatione) aliique inopinati casus huius consilii haud exiguam partem interceperunt. Renanus enim Vir Celeb. in Juris Cathedra Amstelodami constitutus, iam gravioribus negotiis occupatus, huius editionis provinciam mandavit Hamakero". Hengstianae operae, quae Hessianis successerant, iam Hamakeri inchoatam annotationem in Scholia usque ad paginam 248 descripserant, „cum subito" — ita Geel pergit — „deficiente scilicet idonea charta, hic labor abrumperetur, atque porro ita cessaret, ut totum illud negotium ad aeternam oblivionem spectare videretur. Hamakerum autem interim Franequeram, inde Leidam, obeundi muneris professorii causa vocatum, exeunte anno superiore, Hengstius, vir ornatissimus, certiorem facit, se tandem huius rarioris, ut videtur, chartae copiam e Gallia nactum esse, diuque intermissum opus instaurari posse, dummodo ille aut caeteram in Scholia annotationem absolveret, aut absolutae sibi potestatem faceret".

Hamaker illis temporibus in literis orientalibus penitus defixus a Geelio, olim condiscipulo, tunc amico, petivit, ut vacuam provinciam occuparet. Ille quamquam amico flagitanti morem gessit, tamen fatetur: „hunc librum, quippe cuius fata cum tot rerum conversionibus fuerint coniuncta, inde aliquam labem hic illic contraxisse: ut mihi in scribendo subinde taedium oriretur, praesertim cum viderem, intra tam exiguum tempus, nihil, quod bonae frugis esset, lectoribus a me apponi posse" [1]).

Quod taedium mansit etiam postea: uno tantum loco — quod sciam — huius editionis memor fuit. In Bibliothecae cr. novae

1) Cum viginti uno annis post Parisiis Dübner a Cobeto peteret, ut Theocritum ederet, „deed ik" — ita Cobet Geelio scripsit — „hem gevoelen dat het geen kinderspel was in onzen tijd eene editie van Theocritus te geven, en bewees hem dat de grootste literatoren, zelfs Valckenaer, er niet zonder kleerscheuren waren afgekomen. Met groote verontwaardiging (want ik was waarlijk kwaad geworden op de Editiënfabriek) verwierp ik het voorstel". (Brieven van Cobet aan Geel, p. 64).

vol. II [1]) censuram egit editionis Theocriti, quam curaverat Jacobs. In Jacobsii praefatione, quae 215 paginas obtinet, Geelii editionis nulla fit mentio. Quam Jacobsio ignotam fuisse Geel doluit hanc ob causam: „quod, si nostra spernebat, quae ipsi minime miramur, nomina certe Lennepii et Hamakeri aliquantum a vulgo secernenda videbantur" [2]).

§ 3. Vitam Heerenii in Belgicum sermonem conversam [3]) addere opusculis Geelii philologicis non dubito: Heeren enim, antequam studiis historicis totum se dedidit, fuit philologus classicus.

In Praefatione Geel exponit, cur vir clarissimus ipse vitam suam descripserit, scilicet ut operibus suis esset quasi commentarius: nam id egisse Heerenium, ut se defenderet contra eos, qui contenderant eum non esse linguarum satis peritum ideoque haud raro perverse argumentari.

Viam illam novam, quam apud Germanos philologia id temporis ingrediebatur, iam tum Geelio curas movisse ex his verbis apparet: „Het schijnt onbetwistbaar, dat alle critiek op z a k e n uit de oude geschiedenis toegepast, zich volstrekt te voren op de w o o r d e n moet geoefend en gescherpt hebben: niet alleen wegens het naauwe verband, dat tusschen woorden en zaken bestaat, maar ook omdat de eerste, als voorbereiding tot de laatste, even noodzakelijk is als het voorspel van den athleet, die zich in het gezwind bewegen van al zijne ledematen, en in het spannen van al zijne spieren oefende, vóór dat hij den worstelkamp aanvaardde" [4]).

§ 4. Anno 1820 a Societate Artium et Doctrinarum Rheno-

---

1) Inde a p. 305—p. 311.

2) l.l. p. 308.

3) Titulus libelli hic est: „Levensschets van A. H. L. Heeren, door hemzelven, tot beter verstand zijner schriften, medegedeeld"; editus est a. 1822, Hagae Comitis, apud J. Allart et Soc.

4) l.l. p. XII, sq.

Traiectina haec quaestio proposita erat: „Sophistarum, qui Socratis aetate Athenis floruerunt, critica cum diligentia tradantur vita et res gestae, dicendi docendique ratio, tum placita etiam, quae in veterum scriptis, maxime Socraticorum, memorantur.

Quibus rite expositis, efficiatur tandem, quid de eorum moribus, eloquentia, philosophia probabiliter existimandum sit".

Geelii diatriben, quia duas quaestionis partes in unum confundebat [1]), non primis quidem honoribus [2]) ornandam, sed suis sumptibus edendam esse Societas iudicavit.

Traiecti ad Rhenum apud J. Altheer a. 1823 „Historia critica Sophistarum, qui Socratis aetate Athenis floruerunt" in lucem emissa est.

Titulus libri ostendit hoc anno Geelium iam fuisse Bibl. Lugd. Bat. Secundi Ordinis Praefectum [3]). („Historia Critica"), ita legimus in praefatione, „quantopere me exercuerit, ego scio, quantum bonae frugis afferat, in mediis erroribus, ab auctore quidem praestandis, sed in quavis certo definitoque tempore absolvenda ac fere tumultuaria scriptione vix evitandis; huius vero rei aliorum judicium sit". Disputatio distributa est in tres „sectiones", quarum prima agitur „de fontibus, e quibus historia Sophistarum petenda est" et inquiritur, „qui Socratis aetate Sophistae fuerint"; in secunda Geel disserit de Gorgia p. 13—67, de Protagora p. 68—120, de Prodico p. 121—163, de Polo

---

1) Cf. Praef. p. 1 et 2.

2) Cf. diarium, cui nomen „Alg. Konst- en Letterbode" a. 1824, part. II, p. 104. Minus recte igitur annotatur in „Brieven van Cobet aan Geel" p. 269: „Geel zegt van zijn eigen antwoord op de Utrechtsche prijsvraag, hetwelk in 1821 met goud werd bekroond....".

3) Geschiedenis der Leidsche Hoogeschool van hare oprichting in den jare 1575 tot het jaar 1825 door Matthijs Siegenbeek, (Lugduni Bat. apud Luchtmans a. 1832) Vol. II p. 62: „Kort na 20 Wijnmaand 1822 verkreeg van Voorst een' kundig' en ijverig' medehelper in zijn belangrijk werk in den Heer J. Geel Ph. Th. Magister et Litt. Hum. Doctor, bij koninklijk besluit tot tweeden Bibliothecaris aangesteld, en later met den titel van Professor Honorarius vereerd". Wolters in Praef. libri, qui inscribitur „Onderzoek en Phantasie" [5], p. IX, scripsit: „1821 kende de Senaat der Leidsche Hoogeschool aan Geel op voordracht van de Literarische Faculteit het doctoraat in de Letteren honoris causa toe".

p. 164—180, de Hippia p. 181—200, de Thrasymacho p. 201—224, de iunioribus Sophistis p. 225—231, de eorum vitis, moribus, scriptis, placitis; praeterea de Gorgiae, Protagorae, Prodici, Hippiae dicendi atque docendi modis separatim exponit; sectione tertia agitur „de temporum, quibus floruerunt Sophistae, opportunitate ad eorum doctrinam provocandam et propagandam", p. 232—245, et altero capite „de Sophisticae usu et incrementis", p. 246—250. Conclusionem p. 250 factam sequuntur Addenda et Corrigenda atque Index, usque ad p. 260.

Zeller [1]), qui in operis illustrissimi: „Die Philosophie der Griechen" vol. I[4] parte III: „Die Sophisten", p. 932—1041, decem fere locis Geelii mentionem facit, uno alterove tantum loco verba eius affert, Gorgiae et Protagorae vitas a Geelio levius descriptas esse iudicat.

Ipsum Geelium opere suo minime contentum fuisse discimus ex iis, quae scripsit in „censura" Fossii de Gorgia Leontino commentationis [2]): „Religioni certe habebam auctores a Platone inde totos perlegere. Evenit quod providere potueram: congestus erat magnus acervus libellorum, excerptorum, animadversionum; abunde, ut videbatur, materiei aderat: quaedam elaborata, nonnulla inchoata, et quamquam colligendi diligentiam iudicium comitabatur, pleraque incerta, neque ad eam scientiae firmitatem adducta, quae comparando demum argumentandoque exsistit. Tamen labor ille brevi profligandus fuit, nec prospera valetudine nec lauta re libraria. Prodiit libellus, iudicibus probatus; mihi ipsi postea in dies minus placuit, parcius ac fere cum taedio inspectus: sepositum denique e longinquo intueri non poteram sine hoc versu:

ὠκύμορος δή μοι, τέκος, ἔσσεαι, οἷ' ἀγορεύεις [3]).

1) Th. Gomperz (Griechische Denker, a 1896) omnes, qui ante eum de isdem rebus cogitaverant et scripserant, paene neglexit.

2) Bibl. crit. nov. vol. V part. I, p. 137—157.

3) Cobet (Brieven van Cobet aan Geel p. 269) quasdam coniecturas *ὠκυμόρους* appellat, quibus verbis continuo addit: „NB. ik besteel u: want na Aristoteles

Itaque lenissime tuli, quod a viris doctis, Platonis praesertim interpretibus, omittebatur, etsi mirari poteram, ne eas quidem partes respici, quae bonae essent, conferrique mererentur. Supererat ut operam istam retexere constituerem, in qua spe incertissima reponebam huius molestiae depulsionem, donec allatus nuntius est de Commentatione Fossii, partim ingratus, partim iucundus. Poenitebat enim me distulisse proprii operis emendationem; quidquid tamen vel inchoatum vel non satis explicitum reliquissem, id ita suppletum iri sperabam, ut meae operae aliqua certe ratio duceretur" [1]).

Ex iis, quae in fine Fossium monet „ut ceteros Sophistas, Protagoram [2]) certe et Prodicum simili cura dignos censeat" facile efficimus horum certe Sophistarum tractationem a se tantum inchoatam Geelio esse visam.

Sed iam satis est de Historia critica Sophistarum. Quis enim exspectet me in Geelii operibus recensendis quaesiturum, utrum Prodicus Sophista an Socratis assecla fuerit [3]); num Palamedes quoque Gorgiae abiudicandus sit, quod negant Geel et Schönborn, aiunt Foss, Spengel, alii [4]); quota pars loci Aristot. Metaph. I. 1. 981 a 3 Poli orationem praebeat [5]); utrum locum Platonis Gorg. 461 C recte explicet Geel necne [6])?

Si haec taliaque permulta longa disputatione exposita essent,

---

ad Callisthenem herinner ik mij dat gij met die woorden schertst in de recensie van Foss' Gorgias".

1) l.l. p. 138 sq.

D. 9 m. Iulii. a. 1845 Ritschelio suo scripsit: „Meine dummen Sophisten liegen seit 25 Jahren auf dem Citheron, den *ὀβρικάλοις* ausgesetzt. Wenn diese davon fressen, und ihr *κόρος ὕβριν τίκτει*, kein Wunder! Vielleicht schreibe ich dem Herrn Frei (Quaestiones Protagoreae, Bonnae, a. 1845) einmal: „„*ἔφυς ἄρ' ἐπώνυμος*"". (Harum literarum exemplar asservatur in scriniis Praefecti Bibliothecae Lug. Bat.)

2) Cf. Zeller l.l. p. 943: „von den Früheren ist Geel hist. crit. Soph. (de Protagora) unbedeutend".

3) Cf. Zeller l.l. p. 1028.

4) Zeller l.l. p. 951.

5) Zeller l.l. p. 960.

6) Zeller l.l. p. 960.

quid lucraremur? Sciremus, quae operis partes satis „elaboratae", quae „inchoatae" tantum a Geelio essent.

Quaedam nescire malo.

CAPUT II.

INEDITA QUAEDAM HEMSTERHUSII ET RUHNKENII A GEELIO INTER A. MDCCCXXIV ET A. MDCCCXXVIII SUNT EDITA.

§ 1. Novus Bibliothecae Lugd. Batavae sec. ord. praefectus occasionem, quae ei nata erat, penetrandi in hoc templum philologiae clarissimosque patriae philologos atque eorum methodum cognoscendi laetus arripuit, quod philologiae antiquae non minus profuit quam ei ipsi.

Primum tria scripta inedita, de quibus nunc acturus sum, annis proximis ab eo publici iuris sunt facta: a. 1824 Tib. Hemsterhusii animadversionum in Lucianum appendix [1]; a. 1825 Anecdota Hemsterhusiana, Pars I [1]; a. 1828 Davidis Ruhnkenii Scholia in Suetonii vitas Caesarum [1].

Quae primo et secundo loco nominavi opera debentur summae Geelii reverentiae in Tib. Hemsterhusium, quem quam maxime semper et ubique coluit: „Libri quidem, inquit, Hemsterhusiani eo sunt numero, eaque praestantia, ut nesciam, an splendidiore dono Bibliotheca Leidensis raro locupletata sit. Nam praeter illos, quos Ruhnkenius recensuit, alii sunt, quorum margines larga annotatione opplevit docta Hemsterhusii manus; in his prae ceteris memorandum Jamblichei Protreptici exemplar." q. s. [2]).

Partem thesaurorum illorum, quorum Ruhnkenius [3]) iam cupidus fuerat, Geel edidit; Blumium quoque subsidiis Hemsterhusianis

---

1) Lugduni Batavorum apud S. et J. Luchtmans.
2) Praef. Anecd. Hemsterh., p. VI et VII.
3) Cf. Elogium Hemsterhusii, auctore Ruhnkenio², p. 67, 68.

adiuvit [1]); cetera pars, quod sciam, adhuc inedita est. Omnia haec Hemsterhusiana, quae Wyttenbach amissa putaverat [2]), iam inde ab a. 1791 in Bibliotheca Lugd. Batava erant [3]).

In Anecdotorum Praefatione Geel multa narrat de Tib. Hemsterhusii studiis et doctrina. Postquam exposuit eum posterioribus annis non amplius linguis orientalibus, sed solum linguae Graecae et Latinae operam dedisse, disserit de eiusdem in scriptoribus antiquis legendis et edendis via ac ratione. Fusius agit de libris adversaria eius continentibus, quae vel numquam exstitisse vel periisse Wyttenbach contenderat [4]). Denique quaeritur, cur vir doctissimus tam pauca prelo commiserit, quod imprimis repetendum Geelio videtur ex Hemsterhusii in scribendo tarditate, cui nuda auctorum nomina in margine commemorare solito omnia testimonia de novo perquirenda, pensitanda, diiudicanda essent, deinde ex eo, quod — verba sunt Wyttenbachii — „quo magis aetate progrediebatur, eo sibi minus in literis inventisque ipse suis satisfaciebat", quamobrem „inventa sua in commentariis premebat".

Sic Geel vitam Hemsterhusii, a Ruhnkenio scriptam, auxit et supplevit [5]).

---

1) Cf. Bibl. cr. nova, I, p. 262.

2) Vita Ruhnkenii, p. 132.

3) Cf. Anecd. Praef. p. VI. In praefatione, quam Animadversionum in Lucianum Appendici praemiserat, Geel scripserat vulgo credi Hemsterhusii schedulas „in cineres abiisse". Quod censor Germanus ita intellexit, ut de incendio cogitaret. Quem Geel in Anecd. Praef. p. V et VI facit certiorem se tunc verba Wyttenbachii usurpasse, quibus non conflagratio aliqua, sed omnino amissio indicata esset.

4) In Ruhnk. Vita p. 131. Qua de re Geel (p. XX et XXI l.l.): „Certos nimirum habuit Hemsterhusius Adversariorum libros, Historiae gentium, literarum et philosophiae, Antiquitati, Geographiae, Mythologiae, aliisque doctrinae generibus destinatos, quod nisi integri tres servati testarentur, ex aliorum fragmentis suspicari liceret: plurimi enim numquam compacti esse videntur: hoc nempe modo facilis erat novarum plagularum insertio, et commodior Hemsterhusio usus; sed hinc quoque factum censeo, ut non omnes illi adversariorum libri incolumes aetatem tulerint".

Wyttenbach, ut Geelii verbis utar, coniectura ducebatur.

5) Est iudicium censoris, cuius nomen non apparet, in diario, quod inscribitur „Allg. Hall. Literatur-Zeitung", m. Iun. a. 1826; Belgice redditum est in diario,

Sed iam redeamus ad eius editiones.

Schedulas Hemsterhusianas, duobus involucris conditas, a Voorstio, Bibl. Lugduno-Batavae primi ordinis Praefecto, sibi indicatas [1]) accurate se perlustrasse, in ordinem redegisse, quam diligentissime cum editis Hemsterhusii scriptis contulisse profitetur in Appendicis praefatione. „Tum e librorum marginibus, — ita pergit — in quibus ille omnium exquisitissima et concinna maxime scriptura adnotare solebat, ex his igitur descripsi, quae utiliter edi posse videbantur. Et hinc quidem crevit satis larga suppellex animadversionum incognitarum in Lucianum, Pollucem, Aristophanem et alios scriptores, de quibus, et fortasse de Hemsterhusii quoque studiorum et annotandi ratione, nobis alia occasione dicendi locus erit [2]). Hanc autem posthumam in Lucianum [3]) annotationem collegi partim e schedulis, partim ex epistolarum ineditarum fragmentis, partim denique e marginibus primi voluminis Luciani Ed. J. Benedicti" q. s. Etiam Hemsterhusii annotationem in Luciani Navigium, iuvenile sane opus, in cuius tamen marginibus postea permulta Hemsterhuis congesserat, edere nullus dubitavit. Ut haec autem in Lucianum annotatio separatim prodiret factum esse accipimus studio Luchtmansiorum.

Raro in calce paginarum ipse Geel nonnulla addidit; e. g. p. 43, ex qua annotatione apparet eum id temporis Dionis Chrysostomi κόμης ἐγκώμιον, de quo postea acturus sum [4]), pro fragmento habuisse.

---

cui nomen est „Alg. Konst- en Letterbode", a. 1826, part. II. p. 293—296 et p. 316—319.

A. 1827 in eodem diario (part. II. p. 330—334) Geel rettulit de libro a. 1827 Lugduni Bat. a De Crane edito, cui titulus est: „Bijzonderheden de Familie Hemsterhuis betreffende". Nihil fere novi tamen inesse putat.

1) Cf. Anecd. Praef. p. VI.

2) Supra iam vidimus eum id uno anno post in Anecdotorum Praefatione fecisse.

3) „Cum primum (suas opes) in animadversionibus ad Lucianum protulisset, homines eruditos in stuporem et admirationem rapuit (H.), expressitque omnibus confessionem hanc, ut dicerent, nihil simile ullam aetatem in hoc genere vidisse" (Elogium Tib. Hemsterhusii, auctore D. Ruhnkenio², p. 49).

4) Cf. Sectio II.

Quod ipse tam pauca adnotaverat, minime placuit viro docto cuidam, qui de editione iudicium fecit in diario, cui nomen est „Jenaïsche Allg. Litter. Zeit" [1]).

Bake ira commotus amicum suum defendit in diario, quod inscribitur „Alg. Konst- en Letterbode" [1]).

In Bibliotheca critica nova [2]) Geel illi censori et alia et haec respondit: „Cavebimus, Batavi, σὺν Θεῷ, ne resp. nostra detrimentum capiat.... Concedimus Germano, per aliquod tempus torpuisse Batavorum ingenia ad has literas recolendas,.... sed assurgunt paulatim ab illo languore, quod nisi Censor Germanus his postremis annis animadvertit, ipsius inertiam notabo" [3]).

Ita quasi praelusit certamini illi, quod per viginti fere annos conserere non destitit.

In totam illam commentatorum nationem acriter invectus est in Anecdotorum Hemsterhusianorum praefatione: „viget his temporibus commentariorum studium, et, exceptis Creuzeris, Hermannis, Lobeckiis, Boekhiis, horumque heroum simillimis, poteram multos imitari, qui Veterum ipsorum lectionem pro minus

---

1) Mens. Ian. a. 1826. Ex quo iudicio Bibl. cr. nov. Vol. II, p. 318 haec allata sunt: „aber leider! ist man diese Erscheinung bey holländischen Gelehrten schon gewohnt, die entweder zu bequem oder zu vornehm sind, um auf das Nachbarland Rücksicht zu nehmen, obschon sie weder zu dem Einen, noch zu dem Andern Ursache haben. Sie ruhen, wie die francosischen Philologen, auf den Lorbeern ihrer Vorfahren; aber caveant sibi, ne respublica sua detrimentum capiat!" Belgice redditum erat totum iudicium in diario, cui nomen est „Alg. Konst en Letterbode" a. 1826 (part. I. p. 204—206), ubi vocabula, quae sunt „bequem" et „vornehm", reddita erant vocabulis „bekwaam" et „voornaam". Bake (l.l. p. 228—230) his vocabulis rite Belgice redditis ita pergit: „En nu verstaat de Hollandsche lezer eerst regt de meening van den recensent".

Naecke hac de re Geelio d. 7. m. Febr. a. 1827 scripsit (literae asservantur in Tabulario Bibliothecae Leidensis): „Oro atque admoneo, ut si tale quid sonantem vocem ex Germania audiveris, caveas, ne commovearis vehementius; deinde, ut cogites semper vocem esse unam". In eodem Tabulario etiam Niebuhrii hac de re epistula asservatur. (Cf. Epilogus).

2) Vol. II, p. 317—319.

3) Quibuscum haec Niebuhrii consentiunt (literae hae quoque in Tabulario Bibliothecae Leidensis asservantur): „Vous voyez que nous tachons de faire sortir cette belle Ripuaria du sommeil d'inaction où elle a végété depuis trois siècles". (d. 13 m. Febr. a. 1827).

necessaria habere videntur, sed quidquid in quovis terrarum angulo scribitur commentationum, annotationum, miscellaneorum, annalium, fasciculorum, actorum, censurarum, diariorum, ephemeridum, hoc igitur compilant et copiose laudant; verum enim meus doctrinae modulus et meum ingenium aliena sunt ab illa ratione, quae (Musae malum averruncent) si latius serpat, aliquando bonis literis ne vehementer noceat timendum est: siquidem b o n a s l i t e r a s appellari convenit, quae ingenium alunt, animumque ad veri venustique sensum, omnemque humanitatem informant" [1]).

A. 1826 Fritzsche „Quaestiones Lucianeas" ediderat, quarum censuram Geel in Bibl. cr. nov. egit [2]), quod ille de toto Hemsterhusianorum edendorum instituto iniquius iudicaverat; obiecerat enim Hemsterhusio „magnos" et „insignes errores", „pravas opiniones", „saevitiam", si hic quando τι pro τοι, aut δὴ pro δὲ minus recte substituerat, aut eiusdem generis aliquid deliquerat. Cui hoc modo Geel obloquitur: „ingens illa et prope incomparabilis doctrina (quam quotusquisque matura iam aetate, nedum iuvenis, hodie assecutus est?) nisi recta ubique iudicia genuit, at ea praesidia iudicandi caeteris indicavit, quae qui fastidiat, videat ipse quo sit nomine appellandus".

Haec ita copiose exscribenda mihi visa sunt, ut appareret, quantus eo tempore ex Hemsterhusianis inspiciendis et perscrutandis crevisset Geelio amor philologiae antiquae atque eorum philologorum, qui modo illo vetere, sed probato, bonis literis operam dederant, quousque contemneret, exceptis scilicet, qui excipi debebant, Germanorum illam novam scriptores classicos tractandi rationem [3]).

---

1) P. XXV, sq.

2) Vol. III, p. 412—416. Cf. c. IV § 1 huius Sectionis.

3) Hac in re memoria digna videtur esse pars epistulae, a Geelio d. 21 m. Iun. a. 1826 ad Karstenium datae (asservatur in Bibliotheca Leidensi): „si forte quid severius a me contra Germanos dictum est, isti homines aliquoties castigandi sunt, quippe qui doctrinae copiis abu(tu)ntur, nec Musis libare solent, et veterem Batavorum existimationem interisse arbitrantur".

Perpauca habeo, quae addam de ratione, quam in Anecdotis edendis Geel est secutus.

Recte intellexit videndum esse, ne ederet, quae auctore suo essent indigna, praesertim cum eam fuisse ipsius Hemsterhusii rationem perspexisset, ut nil nisi longe exquisitissima ex uberioribus annotationibus decerpta publici iuris faceret. Ea itaque resecuit Geel, quae iuvenilis operae, aut privatae plane utilitatis speciem prae se ferrent [1]).

Anecdotorum Hemsterhusii volumen prius [2]), quod a. 1825 in lucem prodiit, continet animadversiones in Lucianum [3]) (p. 1—163), in Pollucem (—p. 220), in Harpocrationem (—p. 268), in Juliani Caesares (—p. 286), in Apollonium Rhodium (—p. 322).

Has quoque annotationes passim brevibus notulis Geel instruxit, ex quibus maxime memorabilia excerpam:

p. 194 narrat se cepisse consilium edendi scholia inedita in Aristidem; p. 260 aliisque locis coniecturas facit; p. 275, 300, 311 discrepat ab Hemsterhusio, sed summa cum reverentia, ut e. g. p. 275: „nolim Hemsterhusio obloqui, quamvis usus genitivorum, ubi praepositiones requirantur, latissime pateat", cuius genetivi usus aliquot exempla affert; eodem loco sibi in animo esse ex Dione aliquid edere iterum dicit;

p. 284: „Meinekius vero, etiamsi ipse sit insigni doctrinae copia, ingeniique plane singulari acumine, haud aegre tamen videbit, suam opinionem Hemsterhusii calculo comprobari";

p. 314: „Facetum est, quod idem poëtae (Apollonii Rhodii) locus Hemsterhusium in elegantiae admirationem rapuit, quem idoneo sensu carere postea pronuntiavit Brunckius"; deinde que-

---

1) Cf. Anecd. Praef. p. XXI, XXII.

2) Geel in animo habuit altero volumine edere ceteras Hemsterhusii animadversiones, ita ut Hamaker, sodalis eius, prospiceret iis, quae ad Orientis linguas pertinebant, (cf. Praef. p. XXVII, XXVIII), quo tamen munere, quod sciam, numquam perfunctus est.

3) Eaedem sunt, quas anno ante forma, quae quaternaria dicitur, separatim Geel ediderat.

Woltersia in diario, cui nomen est „Noord en Zuid", a. 1899 (vol. XXIII, p. 470, 471) has duas editiones omnino confudit.

ritur Brunckium audacius coniecturam in textum recepisse, ipse vero amplectitur Hemsterhusii elegantem interpretationem, cum Brunckiana coniectura accepta absurde exeat sententia.

Quamquam talibus „notulis" — aliquanto longioribus et crebrioribus, quam in „Appendice" [1]) — Hemsterhusii animadversiones adornaverat, tamen in libri titulo ambitiose id commemorare noluit [2]).

Bake nitidissima Latinitate, quae Ciceronianae periodi admonet, amici opus laudavit [3]): „Geelius, cui praeclarum hoc nostrarum Literarum tuendarum praesidium debemus, ita provinciam administravit, ut, quae singula laudanda sunt in eo qui aliena edit, iis universis cumulatissime satisfaceret, fidei, ut veram Hemsterhusii cum manum, tum praecipue mentem redderet; diligentiae, ut quaedam omittenda curaret, vel iam edita, vel crassiore filo contexta; modestiae, ut non nisi rarissime, cum ubivis potuisset, ad annotandum subscribendumque descenderet, sed ita ut operae pretium faceret, eruditisque quod desiderarent nihil relinqueret" [4]). His et talibus amici opus Bake laudat.

Diarium, quod inscribitur „Allg. Hall. Literatur-Zeitung", m. Iun. a. 1826 [5]) vehementer laudavit tam Hemsterhusianam uberrimam doctrinam quam Anecdotorum editoris rationem.

§ 2. Iam pauca dicam de Dav. Ruhnkenii Scholiis in Suetonii vitas Caesarum, editis a. 1828.

Deberi hanc editionem admonitioni Heinrichii [6]), in cuius no-

---

1) Aliquid igitur censores Germani consecuti erant.

2) Cf. Anecd. Praef. p. XXVII.

3) Bibl. cr. nov. Vol. I. p. 238—241, ubi Bake, quamquam Anecdotorum censuram agit, nil nisi laudem, praesertim Hemsterhusianae doctrinae, tribuit.

4) l.l. p. 241.

5) Belgice legitur iudicium in diario, cui nomen est „Alg. Konst- en Letterbode" a. 1826, vol. II, p. 293—296 et p. 316—319.

6) De quo Niebuhr d. 10 m. Febr. a. 1828 Bonna Geelio scripsit (literae asservantur in Tabulario Bibliothecae Leidensis): „L'auteur des insinuations est M. Heinrichs: qui j'ai sauvé d'une ruine complette, en me compromettant pour extorquer au ministère qu'on abandonnât, une enquête criminelle instituée

titiam ipse venisset duobus annis ante, cum ex itinere Bonnam devertisset, narrat Geel in praefatione alacerrime et urbanissime conscripta.

Laudatis iis, qui in nostra patria olim philologi floruerant, in memoriam Ruhnkenii Heinrich redierat, de eius commentariis, qui in Bibliotheca Lugd. Bat. servari ferrentur, sciscitatus. Ad laboris admirationem multa, ad editionem fere nihil existere Geel responderat. Suetonii autem Wolfiani praefationem cum inspexissent, viderant Wolfium valde delectatum esse excerptis quibusdam ex Ruhnkenii ad Suetonium lectionibus, quae cum eo iuvenis quidam Batavus communicaverat.

Tunc Heinrich a Geelio impetraverat, ut integrum se commentarium editurum polliceretur. „Reducem in patriam — ita Geel [1] — multa negotia me sibi vindicarunt, rediit deinde sensim vetus illa dubitatio, ex dubitatione cunctatio; denique, ut fit, oblivio: et iacerent etiamnum in scriniis Scholia Ruhnkeniana, nisi me excitassent literae humanissimae Friedemanni, viri clarissimi, scriptum exemplum horum scholiorum mittentis, satis quidem accuratum, sed prius quam typis traderetur, cum autographo conferendum. Meditabatur enim Friedemannus editionem, mihique collationis curam mandabat. Rescripsi in aliis me praesto futurum, hanc certe editionem a me prope requiri: quam si relinquerem, iam non specie cuiusdam prudentiae me tegerem, sed contraherem culpam desidiae.

Haec igitur, si veterani facile carebunt, legant tirones et accurate meditentur: quomodocumque enim se iactet nostrum tempus, non meliores sunt quam ii fuerunt, quos Ruhnkenius docebat".

Wolf tantum hypomnematis, quae ad primos quattuor Caesares

---

contre lui. J'y ai réussi; le poids de la reconnaissance qu'il aurait dû me garder, a rendu cet homme — moitié fou, moitié atroce — mon ennemi juré. Connaissez Vous, Monsieur, des êtres de ce caractère?"

Quibus Geel adscripsit: „om deze periode zend ik u den brief eventjes. Een lastige Collega voor die Biebelebonsche Heeren! Maar nu bedank ik er voor, om H. mijne Sueton. optedragen. Hij had het al bont genoeg met mij gemaakt, en nu is de maat vol".

1) Praef. p. 7 et 8.

pertinebant [1]), usus erat. Geel edidit Ruhnkenii Scholia in vitas Caesarum usque ad Domitianum. Librum 373 paginarum non „notulis" quidem, sed indice locupletissimo adornavit.

Censor anonymus in diario, cui nomen est „Alg. Konst- en Letterbode" [2]) Ruhnkenii in Suetonium Scholia valde laudavit, sed Geelii verba nimis ad vivum resecasse videtur; scripsit enim: „de gevolgtrekking, als of.... het werk alleen voor Studenten geschikt zou zijn, is valsch, en wij durven gerustelijk beweren, dat 'er niet vele L i t e r a r u m D o c t o r e s zullen gevonden worden, die opregtelijk zullen durven staande houden, dat zij niet veel hier gevonden hebben, hetgeen voor hen van belang was".

CAPUT III.

QUAE GEEL INDE AB A. MDCCCXXIX OPERA MINORA CONFECERIT, EXCEPTIS „CENSURIS" [3]).

§ 1. Magna doctrinae copia iis studiis instructus Geel mox nare sine cortice coepit.

A. 1827 Angelus Mai Polybii fragmenta in palimpsesto Vaticano detecta ediderat, sed male, ut Geel iam a. 1828 in Bibl. critica nova [4]) demonstravit: nam interpretatione illius Latina frequentius vitia vitiis aequari, raras esse eiusdem et sine successu coniecturas [5]).

1) Cff. Wolfii in Geelii Praefatione (p. 7) verba laudata.

2) A. 1828, vol. II, p. 105—106.

3) De Geelii „censuris", quas et in Bibliotheca Critica Nova et alibi publici iuris fecit, capite quarto disputaturus sum.

4) Vol. IV. p. 435—439.

5) Niebuhr d. 21 m. Maii a. 1828 haec de Maio Geelio scripsit: „Il est conforme à Vos sentimens, Monsieur, de ne pas vouloir traiter avec rigueur M. Mai, à qui nous devons trop pour ne pas lui devoir de l'indulgence. Personne mieux que moi connait ses défauts m o r a u x et littéraires; mais en mon particulier je lui ai d'immenses obligations ...." (Epistula asservatur in Tabulario Bibliothecae Leidensis). De Maio Cobet hoc iudicium prompsit („Brieven

Isdem fere temporibus, certe ante mensem Maium a. 1829, quo suorum Polybianorum praefationem scripsit, complures observationes tam historicas quam criticas in tres Polybii locos, a Maio depromptos, Classi Tertiae Instituti Regii Belgici Geel impertivit [1]. Qua opportunitate data nonnulla quoque protulit de Callisthene eiusque indole atque moribus, et de collectione Sententiarum, quae Constantino Porphyrogenneto debetur, ex qua idem Mai fragmenta ediderat.

In Instituti historia, a. 1833 edita, plura his de observationibus non leguntur, propterea quod Geel interim librum suum ediderat.

A. 1829 enim Lugduni Batavorum apud Luchtmans emissa sunt: „Polybii Historiarum Excerpta Vaticana, in titulo de Sententiis", Geelii manu curata.

Liber, quem Hamakero dedicavit, exhibet in Praefatione Maianae praefationis duos locos, qui ad Fragmenta edenda pertinerent, deinde Excerptorum textum 121 paginis, quarum in calce coniecturas et notas suas Geel adscripsit, tum A. Maii Annotationem 31 paginis, denique Addenda et Corrigenda usque ad p. 167.

De sublatis Callicratis et restitutis Lycortae statuis Hamaker postremis quinque paginis disseruit.

De operis consilio ipse in Praefatione haec monuit [2]: „librorum distributionem non tetigi, rem multae disputationis, quae nec paucis profligari poterat, et a futuro Polybii editore rectius tractabitur. Ipsa verba Polybii aliquanto politiora edere studui: nihil praeterea. Hinc brevis est ac sine doctrinae comitatu nostra annotatio; etsi paulo tamen plenior pro ea ratione quae invalescere coepit, ad veterumque siglorum infantiam revertitur".

A vero haud longe putat eum abesse, qui affirmet Polybiana

---

van Cobet aan Geel", p. 439): „al de rest (in Italia, excepto Peyronio) erkent Mai voor een groot criticus, en is alleen goed om dien *φυσίγναθος* na te kwaken".

Etiam Naber („Vier Tijdgenooten", p. 282) significat Maium talibus rebus edendis non idoneum fuisse.

1) Vid. Historia Classis Tertiae, a. 1833, p. LIII.

Geel huius classis in Tydemanni locum socius factus erat (cf. l.l. p. LXXVII).

2) P. XVIII.

a Maio edita intellegi vix posse [1]): „igitur aut legenda non sunt, aut corrigenda: in quo dilemmate te assentientem habebo, mi Hamakere, dialecticae peritissimum: sumes enim procul dubio, edidisse Maium ut legeremus: ergo relinquitur, corrigi debere. Quousque liceat, quaeritur a nonnullis: facilis responsio est: nimirum penitus, si potest; sin minus, quam optime —. Quibus praesidiis? — usu Polybiano et coniectura.... Quin igitur exspectas dum alius Maio opem ferat, iterumque codex inspiciatur? [2]).... Non lusus est puerilis divinandi artificium, non effervescentis adolescentiae crepundia; immo postulo ut ab his sacris arceantur iuventutis levitas et petulantia".

Haec ultima et quae sequuntur in fine praefationis de iis, qui artem criticam per gradus adscendentem ponerent, ut alii minimam, alii maiorem, alii maximam exercere dicerentur, in Germanos dicta sunt. Quod apparet ex Geelii epistula ad Karstenium data [3]): „Op uwe goedkeuring van mijne Polybiana stel ik prijs: mijne opinie over de critiek ontviel mij zoo onder het schrijven, maar de Duitschers beginnen er ook zoo meê te haspelen, dat de echte tekstkritiek (die zij W o r t k r i t i k believen te noemen) langzamerhand onderaan begint te staan, en met der tijd de neus daarvoor opgetrokken zal worden. Ik zal tegen dit invretend kwaad overal te velde trekken, waar het te pas komt: hunne eeuwige splitszucht zal nog veel bederven".

Maium folia lectu difficillima non ea qua par erat diligentia et fide perscrutatum esse apparet ex ipsius praefatione: p. 147 enim scripsit: „mihi autem operis urgentibus ad alia properan-

---

1) l.l. p. VIII sqq.

2) Bibliotheca Vaticana Maio praefecto per multos annos non facili aditu fuit. A. 1842 Cobet quoque in animo habuit fragmenta Polybiana inspicere, sed Geelio haec scripsit („Brieven van Cobet aan Geel", p. 382): „Wanneer ik er lust toe gevoel zal ik Mai gaan opzoeken. Ik gevoel weinig achting voor dien armen man, maar zal hem toch eens gaan zien. Konde ik de fragmenten van Polybius maar onder de oogen krijgen! Ik vrees dat het niet gelukken zal. Hij let erop en regeert nog over de Bibliotheek, zegt men mij. Ik geef toch den moed nog niet volkomen op en hoop steeds dat ik het met mijne b o n h o m i e nog wel klaren zal".

3) Data est d. 19 m. Sept. a. 1829, asservatur in Bibliotheca Leidensi.

dum est"; p. 432: „si paulo maiore otio abundarem neque preli opera instaret, urbis huius nomen expleturum me sperabam".

Geel demonstrat eum maxima neglegentia fragmenta edidisse: cuius rei locupletissima affert documenta (p. 120 sq.) ex ea tabula, quam ipse Mai volumini suo speciminis loco addidit: sic δή ediderat pro δέ; ex iisque, quae deinde legimus de spatiis inter vocabula relictis et de literis maiusculis, quas Mai neglexerat, luculenter apparet „Maium a mente excerptoris non longe aberrasse, sed corrupisse codicis verba" [1]).

Alia exempla Maianae socordiae, quamquam non ita lucida, quia Mai unam tantum tabulam editioni suae adiecerat, in unaquaque fere pagina inveniuntur. Verisimillimum est Geelium multos locos fragmentorum coniectura restituisse, quos Mai male legendo et edendo corruperat.

Doleo, quod Heysii opus inspicere non potui, qui a. 1846 „Polybii historiarum excerpta gnomica in palimpsesto Vaticano LXXIII Ang. Maii curis resignata retractavit" [2]). Mihi quidem constat non solum Cobeti sed etiam Geelii complures in Polybii fragmenta Vaticana coniecturas emendationum nomine dignas esse.

Spengel, qui a. 1836 emendationes nonnullas in Polybii Historiarum Excerpta Vaticana proposuit [3]), testatur „Geelium egregiam his libris operam navasse" [4]); deinde haec addit: „quodsi Geelius, vir et ingenio et linguae cognitione bene instructus, in usum excerptorum Vatic. denuo omnes Polybii libros evolvisset, vix unum alterumve locum corruptum reliquisset" [4]). Idem compluribus locis Geelii iudicium laudat et sequitur.

1) l.l. p. 121.

2) „Weinige maanden later (quam Cobet; cf. quae paulo ante ex Cobeti ad Geelium epistulis attuli) was Theodoor Heyse gelukkiger. Deze vervaardigde een uiterst zorgvuldig en nauwkeurig afschrift, waardoor onmiddellijk werd bevestigd, wat men van den aanvang wel vermoed had, dat Mai voor zulk werk ongeschikt was". (Naber: „Vier Tijdgenooten", p. 282).

Naber eodem loco narrat a. 1862 Rutgersium uno anno post se codicem, qui dicebatur „il carbonaccio", Romae iterum inspexisse atque iudicavisse fragmenta ab Heysio maxima diligentia et religione esse edita.

3) Act. Societatis Graecae Vol. I. p. 21—33.

4) l.l. p. 22.

§ 2. A. 1833 Classis tertia Instituti regii Belgici edidit Geelii „de Telepho Euripidis commentationem, lectam d. 28 m. Mai a. 1827". Sequor tamen ordinem, quo Geelii opera publici iuris sunt facta. Karstenio de opusculo suo scripsit: „het is een l u s u s , doctus fortasse, maar toch een lúsús: door het behandelen van dergelijke onderwerpen kunnen in het voorbijgaan eenige punten tot zekerheid gebragt worden, maar het geheel is eene coniectuur, zonder eenige diplomatische zekerheid" [1]).

Commentatione ea, quid videretur huius tragoediae deperditae fuisse argumentum, quaeque partium distributio, ex fragmentis, quae extant, rite compositis et illustratis indagare conatus est [2]).

Telephi historia breviter exposita primum enumerat fontes, ex quibus nostra de tragoedia eius nominis notitia hauritur: fragmenta imprimis leguntur apud Stobaeum, Aristophanem, Ennium. Ex his et aliis quibusdam locis, aliunde petitis, perspicere quodammodo sibi videtur, quae ratio fuerit Euripideae fabulae, et quo ordine eius reliquiae collocari optime possint.

Primo loco agit de iis fragmentis, quae pertinere possint ad tragoediae prologum, in quo verisimile est Telephum mendici vestimentis indutum in scaenam prodisse, quam ob rem Leopardo, qui vocabulum m e d i c i in versu Enniano, qui est: „regnum reliqui septus medici stola" (apud Nonium in v. Stola) in m e n d i c i mutaverat, assentiendum putat [3]), scholiastam vero ad Arîstoph. Nub. vs. 923 Euripidis fabulam fortasse confudisse cum Aeschylea [4]).

Deinde in scenam prodisse Clytaemnestram suspicatur, quacum Telephus originem et consilium communicaverit, sed haec addit: „de quanam fraude convenerint Telephus et Clytaemnestra, qui minutim explorare velit, operam fortasse ludat, aut Tragoediae

---

1) Data est haec epistula d. 19 m. Sept. a. 1829; asservatur in Bibliotheca Leidensi.

2) Ea fere sunt verba in Historia Classis tertiae a. 1833, p. LIII.

3) P. 9.

4) P. 6.

partem ipse comminisci necesse habeat. Quare nos a tanta coniiciendi temeritate temperabimus" [1]).

Post Chori [2]) parodum introisse putat Graecorum principes, Agamemnonem, Achillem, Menelaum, Ulixem, quibus de summa re, de prioris expeditionis infausto exitu, de repetendo bello deliberantibus (cf. Dictys Cret. II c. 9) subito advenisse nuntium, qui peregrinum hominem adesse narraret; tum admissum Telephum ficto sermone usum auctore oraculo petivisse, ut fortissimus Graecorum vulneri suó insanabili mederetur [3]). Cui coniecturae ut fidem faciat, affert fragmenta ex Aristophanis Acharnensibus, Ennii fabula, Aristotelis Rhet. l. III, c. 2. Quae deinde in contione acciderint se non iam posse definire fatetur. „Ceteris autem egressis" — ita rursus Geel — „unoque Telepho in scena relicto et canente Choro, interim Graeci dolo se circumventos odorantur.... Quo audito Clytaemnestra in scenam prodit, quid agendum sit cum Telepho deliberatura" [4]).

Quod attinet ad περιπετείας καὶ ἀναγνωρίσεις prudentia maxima in coniectando opus esse putat, nam, „si sola Telephi sanatio agebatur, hic fuit nodus actionis: quaerit Telephus vulneris medicinam: agnoscitur: hinc difficultates: capitis, si vis, periculum: reconciliatio: vulnus ab Achille sanatur. Exile admodum argumentum! in quod ut omnes philosophiae moralis thesauros effudisset Euripides, non consecuturum fuisse puto, ut spectatorum animos tragica voluptate afficeret" [5]).

Nixus autem et iis, quae Dictys Cretensis (II, 7) de discordia Agamemnonis et Menelai narrat, et aliis fragmentis nonnullis Geel probat duplicem fuisse actionem fabulae postremae partis: tam actum esse de Telephi sanatione quam de repetendo bello.

---

1) P. 14.
2) „E quibusnam hominibus Chorus constiterit, aliis quaerundum relinquo". (Geel, p. 30).
3) Cf. p. 14.
4) P. 16.
5) P. 19.

Hunc fere rerum ordinem fuisse exponit: in altera principum contione, postquam Telephus fraudis ab Ulixe esset convictus, Menelaum pro Telepho stetisse, Achillem vero non intellecto oraculi sensu mederi se posse negavisse, artis imperitum, et Telephum pro speculatore habuisse. Deinde cum Menelaus ab Agamemnone postulasset, ut Telephum iuvaret, Agamemnonem impatientem admonitionis et iniuriae fratrem dimisisse. Post Chori lamentationes vel Ulixem [1]) vel Herculem ut deum ex machina [2]) oraculi sensu exposito difficultatem solvisse et Graecorum duces reconciliasse [3]).

§ 3. In Classis tertiae Instituti regii Belgici conventu publico a. 1829 vernacula lingua Geel egit: „Over den gang van het onderzoek in Oude Geschiedenis en Letteren en deszelfs grenzen" [4]).

Gaudere se dicit, quod historica doctrina inde ab Heynii temporibus a philologia classica sit segregata, idque utrique disciplinae magno fructui et commodo et fore et fuisse profitetur, „want ook hier heeft die splitsing plaats gegrepen, die in alle wetenschappen het gevolg der vordering en uitbreiding is" [5]).

Eadem postulat tam ab iis, qui vetustiorem illam rationem studiorum antiquorum amplectuntur, quam ab iis, qui novas vias ingredi malunt: ἀκρίβειαν, patientiam (p. 13—15), bene coniciendi facultatem, celeres motus ingenii, quibus omnia, quae inveniuntur vel recte excogitantur, quam optime coniungas et disponas (p. 15—22), cautionem denique circumspectam et sapientem, ne nimis celeriter tibi placeas (p. 22).

A. E. J. Holwerda [6]) hanc disputationem vocabulo „gemeen-

---

1) Apud Hyginum; iniuria tamen, ut Geel demonstrat, p. 20 sq.

2) Est Geelii coniectura optime excogitata.

3) P. 20—30.

4) Haec oratio „lecta" d. 24 m. Nov. inserta est corpori Commentationum linguis recentioribus conscriptarum, quod editum est a. 1833.

5) P. 9.

6) In diario, cui nomen est „de Gids", a. 1890, m. Sept., p. 428. P. 430 autem haec scripsit: „De Leidsche school (bleef), al waagde zij zich weinig aan historische studiën, ... door de oude philologie ongerept te bewaren, beter (Heusdio

plaatsachtig" notavit; Geelio vero videbantur talia praecepta numquam satis inculcari posse Germanis quibusdam iisque, qui in his regionibus eorum asseclae exstiterant.

§ 4 *a*. Post ea, quae in Historia classis tertiae (ed. a. 1833) de Geelii in Polybium observationibus inveniuntur, memoratur eius commentatio de Aristophane eiusque Ranis [1]). Ubi haec fere legimus: quaesivisse Geelium, quid Aristophanes de Euripide censuisset, explorasse, qui status reipublicae, qui mores Atheniensium iis temporibus fuissent, exposuisse propriam comoediae, imprimis veteris, quae dicitur, vim et rationem.

Vir illustrissimus C. A. den Tex, qui id temporis classi tertiae ab actis erat, speraverat fore, ut proximo Commentationum volumini haec quoque disputatio insereretur, quae tamen spes eum fefellit, hanc fortasse ob causam, quod Geel partem huius disputationis retractavit in oratione, cui titulus est: „Gedachten over den oorsprong van het Blijspel" [2]).

In qua oratione contendit Graeciam ita artibus praestitisse, ut

---

scl.) op de baan, die tot de nieuwere historische wetenschappen leiden kon, dan zij die er zich wèl aan waagden. Jacob Geel had daar althans eenig besef van; op de aangehaalde plaats (p. 7) zijner redevoering blijkt zeer duidelijk zijn ingenomenheid met het „langzaam, schoorvoetend onderzoek, dat overleveringen en getuigenissen uitlegt en tot een gezonden zin brengt, dat derzelver geloofwaardigheid wikt en weegt".

1) Cff. p. LIII et LIV; quando eam commentationem Geel recitaverit, ibi non invenitur; hoc tantum statuendum est, id factum esse inter a. 1829 et a. 1832, nam ante hanc commentationem commemorantur Geelii observationes in tres Polybii locos, de quibus supra scripsi, et post eam commentatio eiusdem de oraculo Delphico, quam recitatam esse a. 1832 infra ostendam.

2) Edita est in diario, cui nomen est: „De Vriend des Vaderlands", a. 1834, p. 369—392; deinde 9 paginis, quae sequuntur, oppugnat Huetii orationem „over de blijvende waarde van letterkundige voortbrengselen" (Hollandsche Maatschappij van Fraaije Kunsten en Wetenschappen, vol. IX). Geel longe alia ratione atque fecerat Huet, praestantiam operum literariorum aestimandam esse significavit et eiusdem definitionem: „(opus literarium) zij niet uitsluitend verbonden aan een zeker tijdvak, of aan een enkel land, maar algemeen" reiecit nominatim allatis Cicerone, Pindaro, Demosthene, Aristophane, aliis.

Memoria digna videntur, quae p. 394 de Ovidio aestimando scripsit: „Indien al de liefhebbers der Latijnsche Literatuur even vlijtig in Ovidius lazen als ik, dan zou die Dichter weldra blijken geen d u u r z a m e w a a r d e te hebben".

adhuc det insuperata sua praecepta et exempla, quod imprimis demonstrat de comoedia. Fere doluit medio aevo Latina quoque opera detecta esse. „Er schijnt" — ita scribit [1]) — „eene zonderlinge vastheid in den typus der oude beschaving te liggen, dien vier eeuwen van het jongere Europa nog niet hebben kunnen verbrijzelen. — En wie weet, hoe veel taaijer het nog houden zou, indien de snuffelaars der veertiende en vijftiende eeuw niets dan Grieksche perkamenten gevonden hadden; indien de Latijnsche taal en literatuur geheel verloren geweest waren, indien deze door de rhetorische kleur, die, over haar gansche wezen verspreid, een historisch gevolg van het volksleven der Romeinen geweest was, aan het herlevend Europa niet terstond reeds geleerd hadden in de voordragt nog meer, nog veel meer te leggen, dan het innerlijk gevoel der waarheid insprak; indien zij de Grieksche literatuur, wier echte onnoozele geest is, mede te deelen, niet terstond vergezeld hadden met de prikkels en hefboomen harer redekunstige sieraden" [2]).

Hic reputemus nunc clamari a multis illam linguam, tamquam inutilem, discere nostrae iuventuti non iam opus esse!

Geel modum excessit; attamen si eligendum esset, quod nego, utra lingua in exilium iret, ego quoque mallem retinere linguam Homeri, Sophoclis, Platonis.

Disputatio de comoedia Graecorum fuit praelusio alterius disputationis, qua acturus erat Geel de comoedia Batava [3]), quam tamen numquam, quod sciam, recitavit neque edidit.

Illa sine initio et fine nonnullis passim in reliqua parte mutatis vel additis invenitur in libro, cui nomen est: „Onderzoek en Phantasie", sub titulo: „Het blijspel bij de Grieken" [4]).

---

1) l.l. p. 392.

2) Geelium Romanos non magnopere dilexisse apparet ex epistula eius ad Ritschelium data (asservatur in scriniis Praefecti Biblioth. Lugd.-Bat.): „Jetzt sehen Sie, was Sie auf mich vermögen, et quantopere te amem (i. e. und wie ich Sie liebe) ganz und gar adaequate Ausdrücke! nur hatten die stocksteifen Römer das amare viel zu häufig im Munde um es immer gut zu meinen".

3) Cf. l.l. p. 369 sq., 392.

4) Editio prima, a. 1838, p. 273 sq. notam exhibet a Woltersio postea recte

§ 4 *b*. Ad historiam literariam quoque pertinet commentatio „de Oraculo Delphico", a. 1832 [1]) recitata in Classe tertia Instituti regii Belgici [2]), quam a. 1838 una cum aliis disputationibus in „Onderzoek en Phantasie" edidit [3]).

Et huic priori et alteri editioni, quae prodiit a. 1841, addidit nonnullas annotationes. Van Limburg Brouwer enim in opere, cui titulus: „Histoire de la Civilisation", tom. VI, sententiam Geelii oppugnaverat.

A. 1838 confessus est Hüllmanni libro „Würdigung des Delphischen Orakels" perlecto se antea fortasse nimis secutum esse ingeniosum illum Müllerum [4]). Depinxit indolem tam populorum Doricae stirpis quam Ionicae; exposuit eorum, qui oraculum condidissent, non hoc fuisse consilium, ut futura cognoscerent — futuri scientiam ne optandam quidem esse —, sed ut comfirmarent instituta et leges suas.

§ 5. Annum 1840, quo Geel Olympicum edidit, duae commentationes praestantissimae antecesserunt: altera de Xenophontis Apologia Socratis ac postremo capite Memorabilium, altera de Stesichori Palinodia.

Hac paragrapho autem mihi antea commemoranda sunt nonnulla alia [5]):

epistula, quam d. 20 m. Maii a. 1833 viro clarissimo Kistio in diario, cui nomen „Archief voor kerkelijke Geschiedenis" de

---

omissam; pertinet enim praecipue ad Xenophontis Apologiam Socratis, de qua infra scripturus sum.

1) „Het volgende opstel, zoo als het nu gedrukt wordt, is zes jaren geleden, in het Instituut voorgelezen": Onderzoek en Phantasie, edita a. 1838, p. 275.

2) Cf. Historia Classis tertiae, a. 1833, p. LIV.

3) Bakhuizen van den Brink, qui eodem anno in diario, cui nomen „de Gids" (in parte „Boekbeoordeelingen") Geeliani libri censuram egit, p. 464 haec significavit: „Terwijl wij het (scl. „Over het Delphische Orakel") op eene andere plaats dankbaar zouden ontvangen hebben, hadden we hier in dit boekje liever vroegere opstellen van Prof. Geel vereenigd gevonden, zoo als ...."

4) C. O. Mülleri librum, cui titulus est „die Dorier".

Cf. „Onderzoek en Phantasie" [1], p. 278.

5) Omitto Geelii nonnullas epistulas, quae praecipue ad rem bibliothecariam pertinentes a viris doctis sunt editae.

celeberrimo quodam codice Theodosiano, qui in aedibus Vaticanis asservabatur, et de aliis quibusdam rebus bibliothecariis scripsit [1];

oratio Latina d. 2 m. Iun. a. 1834 in Instituto habita de Dionis Chrysostomi vita, scriptis, ratione dicendi, auctoritate et de eiusdem oratione περὶ λόγου ἀσκήσεως [2];

literae ad Hasium datae „sur le Discours de Dion Chrysostome, intitulé éloge de la Chevelure", editae a. 1839, de quibus in Sectione altera acturus sum [3];

oratio de Polemone d. 25 m. Iun. a. 1838 in Instituto recitata, qua Belgice videtur disseruisse cum de aliis rebus tum de παρῳδία [4].

§ 6. Commentatione de Xenophonte in Instituto d. 27 m. Iun. a. 1836 recitata, „een waagstuk maar goed en lang overdacht" [5], Geel „ostendere sibi proposuit postremum caput Memorabilium ex Apologia esse descriptum, ut adeo non dubitandum sit, quin Apologia sit Xenophontis, sed dubitare omnino liceat, an quidem

---

1) Vol. IV, p. 247—252.

Quibus in literis hoc iudicium memoria dignum dedit (p. 250): „Indien men mij vroeg, of Hänel met regt celeberrimum kon noemen een voorwerp, dat nog niet aan alle bibliographen en palaeographen bekend is, dan zou ik antwoorden, dat de Duitschers somtijds veel beweging maken, en iets celeberrimum noemen, waarvan wij nog naauwelijks kennis dragen, maar dat daarentegen onze wetenschap somtijds wat achteraan sloft".

Quale iudicium de aliis rebus postea dedit in diariis, quae inscribuntur: „Journal de la Haye" et „Rheinisches Museum für Philologie", de quibus suis locis disputaturus sum.

2) Cff. Commentationes Latinae tertiae Classis, a. 1836, p. XXIX et „Gedenkschriften in de hedendaagsche Talen van de derde klasse", Vol. VI. a. 1848 vel 1855 editi p. 67; in quibus argumenta Geelii orationis parum inter se congruunt. Magis verum attingere mihi videtur id, quod invenitur in Historia, quae Commentationibus Latinis inserta est.

3) Quam epistulam antea communicavit cum sociis Classis tertiae (cf. Instituti Renuntiationes, a. 1841, p. 190).

4) Cf. Gedenkschriften, Vol. VI, ed. a. 1848 1855, p. 69, 70.

5) Ita Karstenio suo d. 18 m. Aug. 1837 scripsit (epistula asservatur in Bibliotheca Lugd. Bat.).

Eum Amstelodami commentationem hanc recitasse apparet ex diario, cui nomen „de Gids", a. 1906, part. III. p. 197.

postremum illud Caput Memorabilium a Xenophonte profectum sit. Fortasse Apologia ipsa nihil est nisi ultimum quoddam caput Memorabilium" [1]).

Valckenaer, Schneider, alii Apologiam Xenophonti abiudicaverant; multi alii existimaverant Apologiam petitam esse ex postremo capite Memorabilium.

Contra Geel in hac commentatione, quae 30 fere paginas continet, Bornemannum sequitur, qui Apologiam Xenophonti vindicaverat.

Iis, qui Xenophonteae Apologiae auctoritatem tuerentur, praesertim Memor. l. IV c. 4 initium molestissimum esse intellexit. Iam circumspexerat, quomodo argumenta, quae ipse admovisset ad vindicandam Xenophontis Apologiam, refelleret: „quippe hanc et descripta e M e m o r a b i l i b u s verba ab uno eodemque scriptore proficisci non potuisse" [2]). Eam vero partem Memorabilium (l. IV c. 4 § 1—4) interpolatoris esse demonstrare conatur [3]). Remota hac difficultate contendit „postremum M e m o r a b i l i u m Caput A p o l o g i a e fragmentis conglutinatum esse" [4]).

Utriusque argumentis breviter contractis comparat singulas partes nonnullis locis aut ab aliis aut a se ipso emendatas; plura eicienda esse concludit, quam eiecerant Dindorf et Borneman, nam neque initium cap. 8 neque finem Xenophonteum esse posse. De initio et aliis nititur indiciis et iis verbis, quae sunt: *ἀνάγκη μὲν γὰρ ἐγένετο αὐτῷ μετὰ τὴν κρίσιν τριάκοντα ἡμέρας βιῶναι διὰ τὸ Δήλια μὲν ἐκείνου τοῦ μηνὸς εἶναι, τὸν δὲ νόμον μηδένα ἐᾶν δημοσίᾳ ἀποθνήσκειν, ἕως ἂν ἡ θεωρία ἐκ Δήλου ἐπανέλθη* [5]); de quibus haec scribit: „nisi nunc indoctum interpolatorem deprehendero, totius capitis per me licet Xenophon auctor sit", quippe „nimia fuisse fiducia, quotquot hoc loco usi s(i)nt in

---

1) Historia Classis Tertiae Instituti regii Belgici, a. 1836 p. XXIX et XXX.

2) l.l. p. 9.

3) W. Gilbert quoque, qui editionem Teubnerianam Memorabilium a. 1891 recognovit, eas quattuor paragraphos uncis inclusit. Quibus autem argumentis permotus vel quo auctore hoc fecerit, nescio.

4) l.l p. 12.

5) Memor. l. IV. c 8 § 2.

Socratis memoria recolenda" [1]. Interpolatorem ante oculos habuisse clarissimum locum e Phaedonis initio, sed Phaedonem ibi Echecrati, hospiti Phliasio, sollemne festum ac legem facile ignoranti, de annuo illo legationis negotio exposuisse: nusquam vero „alia eiusdem diligentiae specimina e Xenophontis libris prom(i posse)" [2]. Deinde sic pergit: „ac si vel maxime cedam, quod cedere nequeo, expedi(as) haec: *ἀνάγκη μὲν γὰρ ἐγένετο αὐτῷ μετὰ τὴν κρίσιν τριάκοντα ἡμέρας βιῶναι, διὰ τὸ Δήλια μὲν ἐκείνου τοῦ μηνὸς εἶναι.* Nemo Veterum certum indicavit tempus, quo annuam pompam absolvi mos fuerit: ac ne poterat quidem numerus dierum definiri, quandoquidem vel secundis ventis expediebatur navigatio, vel contrariis iter retardabatur; quamobrem apud Platonem, c. 1, Phaedo: „*τοῦτο δ' ἐνίοτε,* inquit, *ἐν πολλῷ χρόνῳ γίγνεται, ὅταν τύχωσιν ἄνεμοι ἀπολαβόντες αὐτούς*". — ac deinde: „*διὰ ταῦτα καὶ πολὺς χρόνος ἐγένετο τῷ Σωκράτει ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ὁ μεταξὺ τῆς δίκης τε καὶ τοῦ θανάτου*". Quid autem ille personatus Xenophon? Obibant Delia mense Thargelione, qui apud Athenienses erat triginta dierum: igitur t r i g i n t a dies posuit, quia mensem dixerat, vel totum credebat Thargelionem ex lege sacrum esse. In errorem fortasse induxit Auctor E p i s t o l a e ad Xenoph. XIV, p. 36. Alb. *εἶτα δὴ ἐτελεύτα ποιήσας ἡμέρας τριάκοντα,* nisi utraque ex eodem fonte fluxerint: quae secutus est Seneca Epist. 70" [3].

Totus locus exscribendus erat: arctius contrahere enim tot et tam lucida documenta nequeo.

Alia argumenta interna, quae dicuntur, a Geelio allata, nunc omitto.

Pag. 22 commentationis duo argumenta, quae dicuntur externa, affert: Galenus [4]) Oeconomicum pro Memorabilium postremo libro habuit; si autem caput octavum quarti libri in suo exemplari legisset, inepta fuisset Oeconomici adiunctio.

---

1) l.l. p. 21.
2) l.l. p. 22.
3) l.l. p. 22.
4) *Περὶ ἄρθρων*, Tom. XVIII, p. 301, Kuhn.

Alterum argumentum praebet Dio Chrysostomus ille Xenophontis studiosissimus, qui in oratione in laudem Melancomae habita (or. XXVII), ubi Socratis ad Hermogenem verba aemulatur, haec scripsit: ἀνάγκη γὰρ αὐτῷ ἦν προβαίνοντι ἀντὶ μὲν καλλίστου αἰσχροτέρα γίγνεσθαι. Quibus verbis non illa ex capite octavo Memor. exemplo fuisse putat Geel: εἰ δὲ βιώσομαι πλείω χρόνον, ἴσως ἀναγκαῖον ἔσται — ὁρᾶν τε καὶ ἀκούειν ἧττον κ.τ.λ.., verum haec potius Apologiae: εἰ ἔτι προβήσεται ἡ ἡλικία, οἶδ' ὅτι ἀνάγκη ἔσται — ὁρᾶν τε χεῖρον κ.τ.λ.. [1]).

Quamquam non dubitat, quin de argumentis utriusque generis uberius disputari possit, satis tamen demonstratum arbitratur postremum Memorabilium caput a Xenophonte scriptum non esse; „quo velut amputato aegro membro, vulnus fit, isque libri finis est, qui a consuetudine Xenophontis longe abhorreat" [2]). Ita enim haereret is, qui legeret, plurane exspectanda essent necne.

Accedit quod in illo libro, qui praecipua facta dictaque Socratis complectitur, omissus esse non potest ultimus ille philosophi sermo.

Quae autem desiderentur in fine Memorabilium, ea ipsa in Apologia inveniri Geel ostendit, cuius et initium et finis cum ceteris, quae Xenophon de magistro suo rettulit, optime conveniant.

Hoc igitur molitur Geel, „ut, quem locum ultimo Memorabilium capiti cessit, eundem repetat postliminio libellus, qui cum Apologiae titulo separatim editur" [3]). Quem libellum a Memorabilibus separatum esse suspicatur eo tempore, quo multae ferebantur Apologiae Socratis, aliae ab aliis scriptae, et quidem ante Dionis Chrysostomi et Galeni tempora; Apologiae enim Xenophonteae separatim scriptae meminisse Diogenem Laërtium III, 34; II, 56, 57, alios [4]). „Igitur lapsu temporis e Memorabilium exemplis evanuisse" putat „ac tamdiu exulasse, donec venerit aliquis,

1) l.l. p. 23. Cf. Olympicus, p. 265.
2) l.l. p. 23.
3) l.l. p. 25.
4) l.l. p. 29—31.

qui operis huius commodum finem requireret, quodque domo petere non posset, ex Apologia subriperet" [1]).

Eandem sententiam, quam Geel, postea defenderunt Cobet [2]), R. Lange, M. Schanz [3]).

Inde a p. 25 argumentationi de Memor. postremo capite inseruntur aliae quaestiones Xenophonteae: quibus locis et temporibus Xenophontis opera confecta sint; utrum Oeconomicus coniunctus fuerit cum Memorabilibus necne; in magna et perdocta adnotatione egit de Polycrate Socratis accusatore.

Geel iis, qui curabant edendum diarium, cui nomen est „de Gids", d. 6 m. Oct. a. 1837 de fatis suae Commentationis haec scripsit [4]): „Mijn latijnsche opstel heeft vreemde dingen ontmoet. Prof. van L i m b u r g B r o u w e r is lid der Commissie geweest, die, volgens de wet van het Instituut, oordeelen moest, of die C o m m e n t a t i e in de werken van het geleerde ligchaam kon opgenomen worden: het had zijne vlijende goedkeuring en die der andere Heeren: terwijl ik het stuk drukte, werd te Groningen eene litt. dissertatie verdedigd door een discipel van Prof. van L i m b u r g B r o u w e r: de slotsom mijner lang overwogen en bekritiseerde denkbeelden werd achter die Dissertatie in eene t h e s i s voorgedragen, als de uitvinding van i e m a n d d i e p a s k o m t k ij k e n. Ik ben sedert dien tijd

---

1) l.l. p. 32.

2) In „Novis Lectionibus", editis a. 1858; p. 678 enim scripsit: „Xenophontis haec verba sunt in Apologia § 30 sq., quam Memorabilium partem ultimam esse Geelio prorsus assentior".

3) Christ in libro, qui inscribitur: „Geschichte der Griechischen Litteratur", a. 1898, p. 354 haec exhibet: „Die 'Ἀπολογία Σωκράτους πρὸς τοὺς δικαστάς enthält eine weitere Ausführung des Schlusskapitels der Denkwürdigkeiten, wird aber so eingeleitet, als ob sie eine Ergänzung der Memorabilien bilden solle. Da sie auch hinter der Kunst der übrigen Schriften Xenophons zurücksteht, so halten sie namhafte Kritiker für untergeschoben". (Hoc iudicium aliquanto lenius est, quam quod legitur in editione altera). Ad calcem paginae haec habet: „Dass umgekehrt der Schluss der Memorabilien aus der Apologie genommen sei, suchen nachzuweisen Geel, De Xen. apologia, Leiden 1836, und R. Lange, De Xen. quae dicitur apologia, Halle, Diss. 1873; Schanz in Ausgabe der plat. Apologie S. 85, der entschieden für die Echtheit eintritt".

4) Hae epistulae asservantur in Bibliotheca Amstelodamensi.

veel zediger geworden, dan ik reeds was! Een tweede bevreemding heeft mij de noot (2) veroorzaakt, in n°. 10 van den Gids. Wetensch. bijdragen pag. 48 [1]). Mijne Commentatio is sedert April van dit jaar in het afgedrukte en uitgegeven laatste deel der Commentt. van de IIIe Classe te lezen; maar de schrijver der Verdediging wil evenwel nog eens bewijzen, wat ik reeds bewezen had. Het is beter dat hij bijtijds zich uit dezen anachronismus redde, dan dat wij verschil krijgen. Ik hakkeveer niet gaarne; maar ik kan zulke verzinningen het minst goedkeuren". Simul ab iis, qui diarium edendum curabant, petivit, ut commentationem, quam epistulae adiunxerat, illi defensori Socratis honoris dono mitterent.

Apparet tamen ex libro, cui titulus est „Onderzoek en Phantasie", ed. a. 1838, p. 274 defensorem illum honorem suum defendere dedignatum esse. Geel enim l.l. significat — quod sine dubio omisisset, si ille quocunque modo ex „anachronismo" se expedivisset, — hominem quendam in diario „de Gids" a. 1837, in parte, quae inscribitur „Wetenschappelijke Bijdragen", p. 64 sq. de Aristophanis Nubibus eandem coniecturam fecisse, quam ipse, ut C. O. Hermannum [2]) corrigeret, iam antea protulerat in diario, cui nomen „De Vriend des Vaderlands" [3]). Deinde ita pergit: „In die zelfde Verhandeling belooft de Schrijver, ééns te zullen bewijzen, dat de Apologia Socratis van Xenophon een echt stuk is, en het laatste Hoofdstuk der Memorabilia onecht. — Maar dit was reeds lang afgedaan in het VIde Deel der Comm. Lat. van de IIIde Instituut-klasse. Gaarne zou ik zien, dat de Schrijver van gemelde Verhandeling in den Gids, de bewijzen, vóór hem in die Commentatio aan-

---

1) Ibi haec leguntur: „ik meen voldingende redenen te hebben, om de Apologie van Xenophon te houden voor geschreven te zijn door Xenophon zelven, niet het achtste hoofdstuk van het IVe Boek der Memor. (een van het algemeen aangenomen afwijkend gevoelen, dat ik hier nu niet nader kan uiteenzetten)".

2) Cf. Bibl. cr. nova, vol. V, part. II, p. 554—556.

3) P. 398, sq.

gevoerd, liever aan zijne eigene denkbeelden toetste, en mij het resultaat, op welk eene wijze ook, mededeelde, met fiksche kritiek. Het is om onderzoek en waarheid en vordering te doen, en niet om het eeuwig opwarmen van afgedane dingen.

Het mag moeijelijk zijn, van al het Duitsche geschrijf en gewrijf kennis te dragen; — wat hier te lande in de geleerdheid gewerkt wordt en zich naar buiten openbaart, is, helaas, spoedig genoeg in zijn geheelen omvang te vernemen. Het is niet zoo zeer de werk- en onderzoeklust, als die echte wetenschappelijkheid, die op de vorderingen let en ze volgt, waardoor de Duitschers het tegenwoordig van ons winnen".

Castigatio delicto respondet.

Attamen alii alio modo Geelii opus aestimaverunt. — In ephemeride, quae inscribitur: „Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft" ann. IV, vol. IX. c. 952 valde laudatur. Partem describam ex iis, quae diarium, cui nomen est „Alg. Konst- en Letterbode" Belgice vertit [1]), nam librum ipsum ad manum non habeo: „Aan de Philologen van Duitschland zal het zeker niet onaangenaam zijn te vernemen, dat.... de Heer Geel, in het jaar 1836,.... eene Verhandeling heeft gelezen, waarin een punt der hoogere critiek van Xenophon, hetwelk reeds vele Geleerden onledig hield, op nieuw zeer scherpzinnig en geleerd behandeld wordt.... De vroegere beschouwingen van Borneman, Delbrück, Dindorf, Niebuhr, Ruhnkenius, Schneider, Valckenaer en Weiske [2]) zijn daarbij doorgaans en van alle kanten, in aanmerking genomen, gelijk zulks, bij de voortdurende pogingen der Hollandsche Philologen, om zich ten aanzien van het Buitenland, vooral Duitschland, niet eenzijdig af te zonderen, vooraf reeds zich liet vooronderstellen, doch hetwelk inzonderheid van den Heer Geel te wachten was, wiens veelzijdige kennis zich evenzeer tot het spreken, als tot het schrijven der Duitsche taal uitstrekt. — Ook

1) A. 1838 part. I. p. 97, 98.

2) Iudex ille doctissimus omnia nomina propria virorum doctorum ex toto Geelii opusculo collegisse videtur, quae deinde — nimirum ne cuius honori obtrectaret! — ordine alphabetico disposuit.

voor de hoogere critiek van het Symposium en van den Oeconomicus van Xenophon worden zeer belangrijke punten aangeroerd, alles met eene Latiniteit, zoo als wij die van de Hollanders gewend zijn".

Satis profecto laudis. Iam transeamus ad hominem minime officiosum, qualem Caspersium fuisse constat. O auream illam mediocritatem! Guilelmus Caspers a. 1842 in diario, cui nomen est „Neue Jahrbücher" [1]) commentationem scripsit: „De Apologia Socratis Xenophonti abiudicanda". Qua commentatione iam absoluta a F. Th. Welckero Geelii opusculum acceperat, quod tam in initio quam in fine disputationis suae refellere conatus est. In re dubia vir doctissimus amavit breviloquentiam neque a calumniis abhorruit, quales sunt: „absurda Geelius sua interpretatione inferre studuit" (p. 136); „vides, quam false Geelius disputet" (p. 137); „inepta interpretatione hunc locum depravavit" (p. 138). In initio clamavit: „alterum Valckenarii iudicium de Apologia Xenophontis ad Mem. I, 3, 9 prudenter omisit Geelius, quippe quod rationem, cur haec Apologia a Xenophonte scripta esse non possit, gravissimam contineat" [2]).

Quod attinet ad refutationem ipsam, Caspers quaestionem acu

---

1) Huius diarii tituli tres fuisse videntur: Archiv für Philologie und Paedagogik; Neue Jahrbücher für Philologie und Paedagogik oder Kritische Bibliothek für das Schul- und Unterrichtswesen. Sed id temporis etiam appellatum esse „Zahnii Supplementa" apparet ex Geelii epistula, quae legitur in diario, cui nomen „Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft", quae infra afferetur.

2) l.l. p. 102. Cui demonstrandi rationi Geel in diario, quod inscribitur: „Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft" a. 1842 c. 407 in epistula ad Emperium suum data haec respondit: „Cavi, quantnm potui, ne essent πυρός γ' ἕτερα θερμότερα (se Emperiumque defensurus Ungerum virum arrogantem castigaverat): hoc significare tibi volui, Emperi suavissime, istiusmodi impetus stomachantium famae officere nec bonis literis prodesse, nec mutuam conciliare benevolentiam. Eam praesertim dico benevolentiam, quae veritatis amorem, sine quo nullus est vel excellentissimi ingenii fructus, in nemine suspectum habet, nisi plurimae sint suspicandi causae. Quamobrem quid fecisse me putas, Emperi, quum nuper in Caspersii Disputatione de Apologia Socratis Xenophontea (in Zahnii Suppl. T. VIII) legerem, me nescio quid, quod sententiae meae adversari putavissem, prudenter reticuisse? — Quum Commentationem illam, peritissime, ut videbatur, scriptam lubenter explorare instituissem, illud prudenter e manibus meis excussit eandem, usurpandique voluptatem obtudit". (Nonnulla menda typographica in ea epistula correxi).

tetigisse mihi non videtur: nova enim Geelii argumenta fere neglexit.

§ 7. In Historia Literaria Classis tertiae, edita a. 1848 aut a. 1855 [1]) p. 68 sq. legimus Geelium d. 29 m. Maii a. 1837 in Instituto commentationem de Stesichoro eiusque Recantatione legisse. Tam absurda tamen, quam l.l. memorantur, Geel legere non potuit. [2]) Ibidem Geel dicitur hanc commentationem postea edidisse in Museo Rhenano, quae verba partem tantum veri exhibent.

Egregia illa ad Welckerum epistula, qua ille Rhenani Musei volumen sextum [3]) aperuit, data est d. 10 m. Aprilis a. 1838. Cuius epistulae hoc mihi consilium fuisse videtur, ut et de Stesichori Palinodia ageret et demonstraret „ne maximas quidem res tractari posse sine vocabulorum adrosione et aucupio syllabarum" [4]). In priore enim parte epistulae, quae hilarissime est conscripta, [5]) narrat se a. 1837 Bonnae in convivio cum Welckero sermocinatum esse primo de Stesichori fragmentis a Kleinio collectis, de quibus Welcker a. 1829 in Iahnii Annalibus iudicium fecerat, deinde autem de veterum literarum studio, „quod (Welcker), serio an ioco, ita dehinc instituendum videri aieba(t), ut plurium desiderio satisfieret" [6]).

---

1) Praefatio data est m. Iul. a. 1855, sed in titulo annus 1848 inscriptus est.

2) P. 69: „de Heer Geel poogde .... de strekking, den inhoud en de **volgorde** van de **onderwerpen** dier Palinodia nader te bepalen, **daar** velen bij de Ouden dat Dichtstuk hebben **aangehaald**, doch slechts weinigen het schijnen te hebben gekend" (vocabula, quae maxime offendunt, insigniore literarum forma excudenda curavi).

3) A. 1839 p. 1—15.

D. 27 m. Mart. a. 1838 Welcker Geelio scripserat: „nicht gern möchte ich das erste Stück eines neuen Bandes von Stapel laufen lassen, ohne das Geleit der Chariten, die alle ihre Arbeiten umschweben. Und dass Stesichorus mich besonders interessirt, wissen Sie auch". (Epistula asservatur in Tabulario Bibliothecae Leidensis).

4) l.l. p. 15.

5) Altera epistula laetissima hac de Bonnensi commoratione, ad Hamakeri filium et Cobetum data, legatur p. 56 sq. Hamakerae Disp. Lit.

6) l.l. p. 2.

„Huius ego" — ita Geel pergit — „dicti sententiam haud satis assequebar, sive tarditate quadam mea, sive quod ignorabam, quae esset Literarum omnisque humanitatis conditio in Germania, quaeque ingeniorum in utramque partem subita conversio. Nos certe Batavos natura plumbo graviores finxit, ut in extremorum spatio, quod vos saepe brevissimo curriculo traiicitis, lenti haereamus .... Domum redux unum alterumque legi de recentioribus libris Germanice scriptis, quorum apud vos ingens quotannis multitudo erumpit, mihique visus sum intelligere quid esset illud plurium desiderium, cuius cogitatio te sollicitabat. Nimirum didici crescere in dies numerum eorum, qui Veterum Scriptorum interpretibus a u c u p i u m s y l l a b a r u m et v o c a b u l o r u m a d r o s i o n e m ad nauseam usque obiiciunt, quasi his beatis esse suo modo non liceret, aut illis inviderent difficultatum concoctionem callumque et asperitatem stomachi. Longa querela est, Welckere praestantissime, multaque iam dicta sunt in utramque partem sine magno eventu. Mihi quid [1]) videatur, paucis verbis aperiam: quod sive recto iudicio sive errore dixero, dixisse iuvabit. Nimirum aucupandum et rodendum esse iis, qui utrumque rite facere sciant, quique artificium hoc ignorantes spernant, hos facessere iubendos. Vos Germani, quotquot Antiquitatem vere interpretamini, pergite: nos Batavi pro nostris viribus iuvabimus. Ego autem nusquam magis sensi, quanta vis esset syllabarum et vocabulorum, quam in ipsa hac Poësi Stesichorea", ... [2]).

Quibus verbis Geelii iudicium tam de hac quaestione Stesichorea quam de universis studiis literarum veterum iterum apparet. Quidquid alii moliti sunt, ut „plurium desiderio" satisfacerent, sibi nihil aliud agendum delegit, nisi ut traditione stabilita et emendata magis magisque delectaretur [3]).

---

1) In epistula exstat „quidem".
2) l.l. p. 2, 3.
3) Tale quid, sed aliquanto pulchrius, A. E. J. Holwerda de Cobeto scripsit (in diario, cui nomen „de Gids", a. 1890 vol. III. p. 437): „Gelijk het antieke kunstschoon aan den geest van mannen als Leonard en Rafaël zich als het ware oplegde en zij zich niet verzadigen konden met oude kunstwerken te aanschouwen en

Miratur ille quidem Welckerianam et Müllerianam de rebus mythologicis antiquissimaque historia sagacitatem, sed hanc ob causam satis miram: „Habent sane vestrae commentationes hunc fructum, ut si id ipsum, quod quaeritis, interdum minus inveniatis, tamen per anfractuosi itineris ambages saepe incidatis in res incognitas, quas numquam in lucem proferre potuissent, qui a trita via non deflectunt" [1]).

Quomodo Welckeri ingeniosissimam coniecturam de Palinodiae origine deque vetustissimo cultu Helenae Geel collatis, indagatis, explicatis veterum testimoniis in dubium vocare conatus sit, nunc praetermittam [2]).

Nonnulla tamen adnotabo ex iis, quae scripsit de versu Stesichoreo, qui a Tzetza conservatus esse dicitur. Est Geelii argumentum postremum atque firmissimum, quod ipsius verbis afferam: „Habeo, quo te conficiam, (sic te dicentem audire mihi videor) integrum versum P a l i n o d i a e, a Tzetza prolatum ad L y c o p h r o n e m vs. 113, unde nos omnes credimus P a l i n o d i a m ad Tzetziana usque tempora durasse. Haec autem ille: *Λέγουσι γὰρ ὅτι διερχομένῳ Ἀλεξάνδρῳ δι' Αἰγύπτου Πρωτεὺς*

---

weder te aanschouwen, na te teekenen en weder na te teekenen, zoo dat al die vormen en lijnen het onbewust eigendom hunner ziel werden, op gelijksoortige wijze vervulde zich de geest van Cobet met het Helleensche taaleigen en de Helleensche letterkunde".

1) l.l. p. 4.

2) D. 30 m. Maii a. 1838 Welcker Geelio haec respondit (literae sunt in Tabulario Bibliothecae Leidensis): „Hier, mein werther und verehrter Freund, ein Dutzend Abdrücke Ihrer Comentatio Stesichorea ... Ich danke Ihnen herzlich für alles freundliche und mehr als gütige, was Sie mir persönlich sagen, und uns Bonern und Deutschen überhaupt, und worauf ich mir vorbehalte zur guten Stunde auch öffentlich zu erwiedern: aber vom Inhalte selbst spreche ich eigentlich, der mir nicht bloss überzeugend, sondern auch durch die Art der Entwicklung höchst ergötzlich ist. Wie so ganz Recht haben Sie darin, dass man ohne die a d r o s i o in gar vielen Punkten nichts ausrichtet, und dass ich meines Orts, obgleich ich sie gern übe, zuweilen nicht genug darin thue, wird an dem von Ihnen gewählten Beyspiel klar genug. Es kostet mich nichts, nach dem Sie mir die Augen geöffnet, Ihnen die Palinodie zu singen, ich gebe zu, dass die Sage, worin ich geschichtlichen Grund vermuthete, eine der vielen ist, die rein erfunden und gemacht wurden, wofür ich selbst gar manche erkenne, den Andre historisches Gewicht beylegen".

Ἑλένην ἀφελόμενος εἴδωλον Ἑλένης αὐτῷ δέδωκε καὶ οὕτως ἔπλευσεν εἰς Τροίαν, ὥς φησι Στησίχορος· Τρῶες οἱ τότ' ἔσαν Ἑλένας εἴδωλον ἔχοντες.... Omnes pretiosum illud fragmentum, tanto naufragio ereptum, fovetis, atque digammate Aeolico, metrique ratione bene observata sic expolitum apponitis:

Τρῶες
Οἳ τότ' ἴσαν Ἑλένης εἴδωλον ἔχοντες.

Nolim vobis illudere, a quibus scio quam longe antecellar et ingenio et doctrina; attamen certo scio te leniter subrisurum, si ostendero, vos nubem pro Iunone amplecti, Tzetzamque nihil nisi εἴδωλον versus servasse. Hic enim legerat Aristidem, qui T. II p. 72 Dind. disputabat, essetne ars oratoria quasi vinculum quoddam partium politicae: ἢ τὰ τῆς πολιτικῆς ὡς σὺ φῂς μόρια ὑπὸ τῆς ῥητορικῆς συνέχεται; ἐμοὶ μὲν γὰρ ὡς ἀληθῶς σὺ ῥητορικὴν ἐν τούτοις καλίζειν φαίνεται οὐδὲ πολιτικῆς μορίου εἴδωλον δεικνύναι, ἀλλ' οὕτως ὥσπερ εἴδωλον ῥητορικῆς ἀπειληφὼς ἐπὶ τούτῳ σπουδάζειν, αὐτῆς δ' οὐδ' ἅπτεσθαι, ὥσπερ οἱ Στησιχόρου Τ ρ ῶ ε ς , ο ἱ τ ὸ τ ῆ ς Ἑ λ έ ν η ς ε ἴ δ ω λ ο ν ἔ χ ο ν τ ε ς. — Videsne Commentum Tzetzianum, Stesichoream σκιὰν ἀΐσσουσαν in postremis Aristidis verbis? Graeculus Codicis sui Aristidei corruptela, vel potius siglo deceptus ex οἱ τὸ τῆς fecit οἱ τότ' ἦσαν vel ἴσαν. Hic nunc quodammodo excusari potest, quod diversas εἰδώλου Helenae traditiones aeque miscuit ac Scholiasta Aristidis Panath. I p. 212 Dind. quam confusionem tu optime animadvertisti; excusari nequaquam potuisset, si Palinodiae exemplar manibus versavisset. Aristidi obversata sunt Platonica Reip. Lib. IX p. 586 c.".

De quo Geelii invento Bakhuizen van den Brink in diario, cui nomen est: „de Gids", part I. p. 624 haec iudicavit: „Stesichorus is daardoor van een bespottelijk vers vrijgepleit, dat Tzetzes hem had opgedrongen: een' prozaïschen regel van het maaksel van Aristides. Ofschoon wij niet in allen deele de stellingen, door den Heer Geel voorgedragen, tot de onze maken [1]) zijn wij

---

1) Bakhuizen van den Brink quatenus a Geelii sententia discreparet, professus est epistula Geelio dedicata in diario, cui nomen „Symbolae Literariae", a. 1843

het echter ten volle eens, dat Stesichorus zelf nimmer iets van zijne blindheid en de wraak van Helena heeft verteld, en erkennen gaarne, dat hij eene belangrijke bijdrage heeft geleverd, ter verklaring der in de Oudheid zoo beroemde, maar voor ons nog zoo duistere Palinodie".

§ 8. Post a. 1840 ex Geelii operibus classicis minoribus praeter „Censuras" tria iam restant [1]):

commentationem de Aristophanis Equit. vss. 319—321 recitavit a. 1842, edidit a. 1843;

a. 1853 in diario, cui nomen est „Mnemosyne", de Aiacis vss. 646—692 scripsit;

a. 1854 Lennepianae editioni Scuti Herculis praefationem Latinam praemisit.

Duo opuscula, quae primo loco posui, Belgice sunt scripta.

De priore commentatione brevem esse licet, nam illius commentationis, quam de Aristophanis Equitibus in Instituto d. 6 m. Iun. a. 1842 recitavit [2]), parva tantum pars a. 1843 edita est [3]),

---

p. 119—142. Voluerat „in ipso Dissertationis limine palam testari" de Geelii in se multis et praeclaris meritis, sed „aliae, quominus propositum efficere(t), prohibuer(a)nt rationes".

De hac epistula Geel Cobeto scripsit (cf. „Brieven van Cobet aan Geel" p. 406): „zijn resultaat is, dat de Palinodie een zeer geweldig duister ding is geweest; dat bijna niemand het begrepen heeft, en dat daaruit al de vreemde opiniën en uitleggingen en imitatiën der Ouden volgen! Per me licet, et credat Iudaeus Salomo!"

1) In historia Instituti a. 1841 p. 190 praeterea commemoratur Geelii disputatio de Iliadis l. XIX. vss. 74 sqq.;

p. 191 de Dionis Chrysostomi quae dicitur historia Getica. Qua de re et Emperio (cf. eius epistulae in Tabulario Bibliothecae Leidensis) et Brinkio suo scripsit (cf. diarii, cui nomen „de Gids", a. 1906 part. III. p. 427).

In historia a. 1845 p. 22 legimus Geelium d. 10 m. April. a. 1844 disputasse de tribus inscriptionibus Graecis a Cobeto suo Venetiae detectis, quae urbium aliquot Cretensium pacta exhiberent. (Inscriptionum textum explicatione addita Naber a. 1852 in diario, quod inscribitur „Mnemosyne", edidit; cf. praeterea „Brieven van Cobet aan Geel" p. 492).

2) Cf. „Het Instituut of Verslagen en Mededeelingen, uitgegeven door de vier klassen" a. 1843 part. I. p. 22.

3) Part. II. p. 132—140.

qua novis argumentis fulsit C. F. Hermanni coniecturam: vss. 319—321 ab Agoracrito dictos esse, recte Elmsleyum contendisse a Demosthene eos dici non potuisse, minus recte tamen ab eodem Niciae esse attributos. [1])

Ex novem paginis, quibus haec commentatio continetur, quinque hoc consilio scriptae sunt, ut ostendatur Heraclidem Ponticum (apud Athenaeum p. 537 c) alterum Niciam significasse.

Aristophanem Geelio saepissime cordi fuisse apparet ex nonnullis commentationibus eius supra allatis, ex Olympici et Phoenis sarum editionibus, ex eiusdem ad Cobetum datis literis et literulis [2]).

§ 9. Maximi momenti est Geelii de Aiacis vss. 646—692 disputatio [3]), quorum versuum ingeniosissimam interpretationem Belgice esse scriptam paene dolendum est, quia sic communis utilitatis non est facta.

Geelii explicatione cognita mea quidem sententia acquiescere nemo poterit in illa interpretatione cum Aiace tum Sophocle indigna, quae et antea et adhuc a nonnullis circumfertur [4]).

Welcker, Thudichum, Thirlwall [5]) arbitrati sunt Aiacem nihil nisi κεκρυμμένῃ, ut dicitur, βάξει mortem designasse neque in animo habuisse simul Tecmessam et Chorum in errorem inducere; Schneidewin Aiacem nonnullis locis vel mentitum esse finxit [6]); Bellermann scripsit: „der Dichter (lässt) seinen Helden, dem

---

1) De Hermanni et Geelii coniectura nihil in Equitum editione, quam Van Leeuwen a. 1900 paravit.

2) Quattuor aut quinque ex illis literulis asservantur in Bibliotheca Lugd. Bat.

3) Legitur in diario, cui nomen „Mnemosyne", a. 1853 p. 200—208.

4) Jebb („The Ajax", ed. a. 1896, p. XXXIII.) de vss. 646—692 hoc iudicium dedit: „A correct appreciation of (this speech) is, indeed, of the first importance. On the meaning attached to parts of it must depend our conception of the mood in which Sophocles meant Ajax to quit life; and this, in turn, must affect the interpretation of the play as a whole".

5) Cf. Jebb. l.l. p. XXXIV.

6) Cf. diarium, quod inscribitur „Mnemosyne", a. 1853 p. 200 sq.; in nona editione, quam Nauck a. 1888 curavit, nihil, quod sciam, illius Schneidewiniani iudicii relictum est.

die Lüge offenbar schwer ankommt, mehrfach Worte wählen, welche zwar darauf berechnet sind, den Chor zu täuschen, aber doch auch in Aias' Sinne Wahrheit enthalten" .... „Aias spricht auch den Worten nach eine Unwahrheit aus" [1]); ne Christii quidem ferri potest explicatio, quae est: „Erweicht durch die rührenden Zureden der Tekmessa und den Anblick seines einzigen Kindes Eurysakes, scheint er nochmals von Todesgedanken abzustehen und sich unterwürfig der Notwendigkeit zu fügen" [2]).

Contra recte Geelio persuasum est: „dat het de bedoeling van Sophocles niet kan geweest zijn den grooten held leugens in den mond te leggen, maar wel, hem dubbelzinnigheden te doen spreken" [3]).

De toto Aiacis sermone — ut a fine incipiam — hoc iudicavit: „het is waarschijnlijk, dat (de dichter) .... Ajax in diens geveinsd berouw over zijn vroeger besluit, heeft willen voorstellen als uit razernij overgegaan zijnde in den matten toestand eener idée fixe, zelfmoord uit diep gevoel van gekwetste eerzucht. Die zelfmoord was besloten: zonder den hoofdtrek van zijn edel karakter te verzaken, daalt de held af tot de sluwheid die aan de krankzinnigheid eigen is wanneer zij een doel wil bereiken. — Door deze uitlegging gaat, zoo ik mij verbeeld, niets verloren; het medelijden met den diep ongelukkigen stijgt — en het stuk blijft, in zijn geheel, eene heerlijke vertooning van de zelfverheffing eens stervelings boven de hoogere magten door de godheid gewroken, voorbereid door de woorden van Minerva (vss. 127—133)" [4]).

Iam percurramus eius annotationes. Vs. 649 defendit Bothii

1) Ed. IV. p. 65 sqq.

2) „Geschichte der Griechischen Litteratur" a. 1898 p. 239.

3) l.l. p. 201. Jebb („The Ajax" praefationis p. XXXV.) idem fere iudicium protulit: „Ajax deliberately deceives his hearers. The art by which he does so, without saying anything that is not verbally true, is so contrived as to give the spectators the kind of pleasure which is felt in guessing a riddle".

4) l.l. p. 206.

coniecturam, quae est ὄγκος pro ὅρκος: Aiacem enim nusquam iuravisse [1]).

Contra Schneidewinum, quem nostris temporibus Bellermann secutus est, contendit verba οἰκτείρω δέ νιν .... λιπεῖν (vs. 652 sq.) non unam, sed duas sententias habere: tam „ik gevoel medelijden, nu ik haar ga verlaten", quam „mijn medelijden belet mij haar te verlaten" [2]).

In vss. 657—659:

μολών τε χῶρον ἔνθ' ἂν ἀστιβῆ κίχω,
κρύψω τόδ' ἔγχος τοὐμόν, ἔχθιστον βελῶν,
γαίας ὀρύξας ἔνθα μή τις ὄψεται·

recte Geel Schneidewinii explicationem vocis, quae est ὀρύττειν, oppugnavit, nam non est: in terra occultare („verscharren"); minus recte tamen „γαίας" divisit ab ἔνθα, quo facto haec fieret sententiae significatio: „ik zal mij naar eene onbetredene plaats begeven en aldaar eenen kuil graven en mijn zwaard (in mijn ligchaam) verbergen, waar men het niet zien zal" [3]). Magis laudo eos, qui γαίας pendere ex ἔνθα putant [4]) et sequendam esse arbitror Jebbii interpretationem: „Then I will seek out some untrodden spot, and bury this sword, hatefullest of weapons, digging in the earth where none shall see".

Neque facio cum Geelio versum sequentem ἀλλ' αὐτὸ νὺξ Ἅιδης τε σῳζόντων κάτω eicienti. Cuius rei hoc argumentum iusto infirmius attulit: „Ajax kan die woorden zeer goed verzwijgen; zijn afkeer van het heillooze zwaard kan zelfs niet toelaten dat het in de onderwereld bewaard blijve; want dit is de zin, hoe ruim men σώζεσθαι ook uitlegge". Cur talis est fingendus Aiacis animus, ut versus sit eiciendus? Quid obstat, quominus Aiax id de gladio secum una condendo dicat? Vs. 577 iam dixerat:

---

1) Etiam Nauck in Aiacis Appendice[9] cum Bothio fecit.
2) Idem dixerunt Nauck et Jebb.
3) l.l. p. 203.
4) Inter quos affero Bellermannum, Nauckium, Jebbium.

τὰ δ' ἄλλα τεύχη (praeter clipeum) κοίν' ἐμοὶ τεθάψεται. Exsecratio ipsa aptissime convenit ad Aiacis animum ira commotum, qualis a Geelio quoque fingitur.

Vss. 666—677 ab Aiace designari putat mortem, quae eum ab inimicis sit liberatura.

De vss. 678—680 haec leguntur: „Zoo ik mij niet bedrieg is de verholen zin van deze vriendschapsleer — die de hooge Oudheid nog niet kende — „„Ik zal mijnen vijand (hij heeft bovenal Ulysses op het oog) zoo haten, als of hij mij wederom lief kan hebben"”; hij verzwijgt het besluit: „„dit zal het ἐπίτριπτον κίναδος nooit doen; dus is onze verzoening onmogelijk"” [1]. Verbo, quod est φίλον (vs. 680), Teucrum morantem ab Aiace significari putat.

Memoria digna mihi videntur, quae scripsit de vs. 692, quem hoc modo Belgice vertit: „want weldra zult gij vernemen dat, hoewel ik nu nog krank ben, mijne genezing volkomen zal zijn"; Aiacem enim sibi conscium fuisse se nondum prorsus sana mente esse. Quo facto Aiax simul tollit dubitationem atque metum, quae versus proximi Tecmessae et Choro iniecerant.

Duabus annotationibus, in fine disputationis, de aliis nonnullis Aiacis versibus agitur.

§ 10 *a*. Duce Lennepio Geel curriculum philologicum inierat, duce Geelio Lennepii opus postumum Ἀσπὶς Ἡρακλέους a. 1854 editum est [2]. Eadem fuit cura postrema, quam literis amatis Geel adhibuit.

---

1) l.l. p. 204.

Valde differunt, quae Jebb his versibus et iis, qui antecedunt, inesse putat. L.l. p. XXXVI. leguntur: „The sense in which he y i e l d s to the gods is not merely that he takes a step to which they have driven him, and retires from life: to y i e l d in that sense, would be merely to accept the inevitable. He y i e l d s to the gods in the further sense that he has come to see the folly of the pride in which he formerly despised their help".

Facio potius cum Geelio, qui verbo σέβειν (vs. 667) posito inter ter repetitas formas verbi, quod est εἴκειν, eam vim attribuit, qua significat: „eene vereering van hem voor wien men uit den weg gaat" (l.l. p. 204). Praeterea Aiax, qualem Geel sibi finxit, magis congruit cum Aiace Homerico (Od. l. XI.).

2) Woltersia (l.l. p. 504) confusius hac de editione egit; scripsit enim de

In Praefatione 12 paginarum, quam Geel Scuto Herculis praemisit, de Lennepii doctrina atque elegantia, eiusque discendi et docendi ratione, studiis, operibus, discipulis agit. Deinde narrat eundem in „Collegium Statuum Provincialium Hollandiae" adlectum non abstinuisse a literis veteribus, sed consilium suum Hesiodea edendi redintegrasse. „Nunc vero" — ita Geel — „Hesiodi memoria instaurata, quumque per illam diuturnam [1]) intermissionem aliena multa tractavisset, eosque nunc libros circumspiceret ac legeret, qui prodierant de Hesiodi carminum origine et integritate, iactabatur in fluctibus ingeniosissimarum divinationum, protervaeque cuiusdam novandi audaciae; in quibus interiturus erat novus Lennepii ardor, nisi subvenisset huic sollicitudini ipsa senilis iudicandi lenitas. Persuadebat enim sibi non adeo magnam vim esse argumentorum, quae ab illis promerentur, quin aliquid opponi posset ad vindicandam Hesiodeorum formam diuturna traditione cognitam. Hinc factum est ut raro aliquid illis concesserit; sed eosdem in frequenti dissensione numquam aut tacitus praetermisit, aut in obloquendo reprehensione castigavit: amplectebatur enim in Literis sententiam Tullii, vetustatem suo loco conservandam esse, opinionumque commenta delere diem" [2]).

Hesiodi interpretatione Belgica. Hamakera Geelii praefationem non minus omisit quam literas eius de nonnullis Hesiodi versibus a. 1843 a Goettlingio editas.

1) A. 1823 Van Lennep Ἔργα καὶ Ἡμέρας Belgice verterat.

2) l.l. p. XIX sq.

Idem, sed alio modo, Geel Bakhuizenio scripsit (cf. „Briefwisseling" p. 40, 41): „Het conservatisme van den achtenswaardigen uitgever zit zoo diep geworteld, dat.... Bij de heeren van zulk eene geestgesteldheid heeft de „simplicitas" eene onbegrijpelijke rekbaarheid en bruikbaarheid, om zelfs het ongerijmde te vergoelijken".

Quale funus Scuto Herculis ipse Geel fecit, tale Theogoniae quoque Lennepianae ab Heckero petivit. D. 8 m. Mart. a. 1844 Brinkio suo enim scripsit: „(Veth) heeft mij de recensie van v. L.'s Hesiodus opgedragen. Ik kan ze, om vele redenen niet maken: — gij kunt deze alle gissen, op ééne na: daarom heb ik de zaak aan Hecker geëndosseerd: op voorwaarde van gematigdheid en beleefdheid en patricische fatsoenlijkheid in de tegenspraak: want van tegenspreken zal nog al wat te doen vallen". (Haec epistula asservatur in Bibliotheca Amstelodamensi).

Saepe Lennepium vel coram vel per literas de Hesiodo secum disceptasse Geel eodem loco scire nos voluit [1]).

§ 10 *b*. Opportunitate data pauca dicam de Hesiodi fragmento quodam a Cobeto detecto, a Geelio emendato, a Goettlingio edito a. 1843 in praefatione, quam Hesiodi Carminibus praemisit.

Geel a Cobeto petiverat, ut sibi varias lectiones in Hesiodum praeberet [2]); qui d. 10 m. Aug. a. 1842 Eoearum fragmentum Venetiis apud scholiastam in Euripidem inventum ei misit. Hoc fragmentum postea a Cobeto correctum [3]) Geel emendavit et a Ritschelio rogatus Goettlingio in usum alterius Hesiodi editionis permisit [4]). Geelii epistula in Goettlingii praefatione a p. LIX. usque ad p. LXI. legitur.

Geel fragmentum sic descripsit: *(καὶ ἡσίοδος δὲ) τῆισι δὲ φιλομειδὴς ἀφροδίτη ἠγάσθη προϊδοῦσα κακην δέσφ' ἤμβαλε φήμην. τις ἀνδρι μένει. εἴ τ' εχετον προλιποῦσ' ἐβεβήκει. ἵκετο δ' εἰ σφιαία φίλον μακάρεσσι θεοῖσι. ὡς δὲ κλυταιμνήστρα λιποῦσ' ἀγαμέμνονα δῖον*

---

1) D. 13 m. Sept. a. 1837 Karstenio suo Geel scripsit: „Onlangs op het Manpad bij Prof. v. Lennep logerende, heb ik vernomen, dat wij zijn langbeloofden Hesiodus toch te wachten hebben. Ik heb er van gezien: de druk zal spoedig een aanvang kunnen nemen". (Literae in Bibliotheca Leidensi asservantur.) Theogonia a Lennepio edita est a. 1843, Opera et Dies a. 1847.

2) Quod apparet ex Cobeti ad Geelium datis epistulis, p. 148. Cf. etiam p. 526. Fortasse Lennepii editionis causa.

3) Facile intellegitur vel Cobetum, quamvis artis palaeographicae peritissimum, erravisse in codice lectu difficillimo (cf. „Brieven van Cobet aan Geel" p. 311, 340); miramur tamen eum bis (p. 311, 340) alias lectiones praebentem identidem quam maxime affirmare se diligenter descripsisse.

4) Geelio, qui ad dominium huius fragmenti allusisse videtur, Cobet respondit (l.l. p. 334): .... „Prof. Van Assen heeft mij geleerd, dat wanneer een s c u l p t o r uit een blok steen een beeld maakt, de eigenaar van den steen alle recht van eigendom verliest. De vergelijking deugt nog niet en ik kan dus evenmin in scherts als in ernst iets antwoorden op het woord e i g e n d o m, dat ik in uwen brief vind: waarom (laat mij eene seconde veronderstellen dat gij niet schertst) waarom — maar ik ben al te onnoozel, e t v o u s p l a i s a n t e z, i l n ' y a p a s d e d o u t e, e t v o u s n e m ' a t t r a p p e r e z p a s. Indien er iets is, dat uwe belangstelling of zelfs uwe bloote nieuwsgierigheid gaande maakt, een enkel woord en ik zal het u overzenden, met het recht van eigendom ingesloten. Basta così".

αἰγίσθῳ παρέλεκτο καὶ εἵλετο χείρονα κοίτην ὧδ' ἐλέ ἤισχυνε λέχος ξανθοῦ μενελάου [1]).

Cum in vocabulo, quod est *εχετον*, latere putaret Ἔχεμον, de emendatione non desperavit et totum fragmentum sic constituit:

> τῇσιν [2]) δὲ φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη
> ἠγάσθη προσιδοῦσα [3]), κακὴν δέ σφ' ἔμβαλε φήμην.
> Τιμάνδρη μὲν ἔπειτ' Ἔχεμον προλιποῦσ' ἐβεβήκει,
> ἵκετο δ' εἰς Φυλῆα, φίλον μακάρεσσι θεοῖσι.
> Ὡς δὲ Κλυταιμνήστρη προλιποῦσ' Ἀγαμέμνονα δῖον
> Αἰγίσθῳ παρέλεκτο καὶ εἵλετο χείρονα κοίτην,
> ὧδ' [4]) Ἑλένη ἤσχυνε λέχος ξανθοῦ Μενελάου.

Emendationes praestantissimae igitur hae sunt:

Τιμάνδρη μὲν ἔπειτ' Ἔχεμον pro: *τις ἀνδρι μενει. εἴ τ' εχετον* — *δ' εἰς Φυλῆα* pro: *δ' εἰ σφικία* — *Κλυταιμνήστρη προλιποῦσ'* pro: *κλυταιμνήστρα λιποῦσ'*.

De postrema scribere necessarium esse non putavit, sed restitutionem nominum Timandrae, Echemi, Phylei verbis Eustathii ad Il. B vs. 616 et verbis Pausaniae (VIII., 5, 1) niti Goettlingio exposuit. Utrumque auctorem ex Hesiodo hausisse putat, quapropter, cum Eustathius scripserit: *Φυλεὺς γάρ, φασίν, μοιχεύσας Τιμάνδραν ἀδελφὴν Ἑλένης ἀπήγαγεν ἐς τὸ Δουλίχιον*, intercidisse Geelio

1) Discrimina minimi momenti in epistula posteriore, quam Cobet ad Geelium p. 340 dedit, haec sunt: *ἤμβαλε*, *ανδρι* (sine spiritu vel accentu), *εἴτ'* (unum vocabulum), *ἐλ*$^{\varepsilon'}_{\chi}$. Pro quibus Cobet in Scholiis ad Euripidis tragoedias, quae Geelii in Phoenissas commentarium sequuntur, p. 261 habet: *ἤμβαλε*, *ἀνδρί*, *εἴτ ἐλ*$^{\varepsilon'}$. Duo vocabula postrema igitur discrimen omnino praebent, aut Geelio aut, typographo tribuendum.

2) *τῇσιν* cum litera *ν* recepit ex priore Goettlingii editione.

3) Vulgatum *προσιδοῦσα* (etiam Ven.: cf. Cobet post Geelii in Phoenissas commentarium p. 261) praetulit alteri lectioni, quae est *προϊδοῦσα*, „cui tribuenda vel haud satis antiqua potestas p r o v i d e n d i , quae his verbis non convenit, vel e l o n g i n q u o p r o s p i c i e n d i , non magis idonea".

4) *ὧδ' Ἑλένη* recepit pro vulg. *ὡς δ' Ἑλένη*, „quod *δὲ* in *ὡς δὲ Κλυτ.* respondet praegressis *Τιμάνδρη μέν*. Sententia: s i c u t a u t e m C l y t a e m n e s t r a — i t a H e l e n a cet.".

Cobet l.l. p. 260 habet: *ὡς δ' Ἑλενη* et pro *χείρονα κοίτην*: *χείρον' ἀκοίτην*.

videtur post μακάρεσσι θεοῖσι versus, „cuius haec fuerit sententia: Ad Dulichium, quo eam Phyleus ex Tegea raptam duxit".

Goettling putat versus tertium et quartum fragmenti „egregie" a Geelio emendatos esse, narrationem vero de Dulichio ex altero Hesiodi fragmento Eustathium haurire potuisse ostendit.

CAPUT IV.

Geelii iudicia de alienis studiis antiquis.

Hoc capite acturus sum de Geelio in diariis, quae inscribuntur: „Bibliotheca critica nova", „Algemeene Konst- en Letterbode", „De Gids", operum alienorum, quae in classicis versantur literis, censorem agente.

Accedunt iudicia, quae semel in ephemeride, cui nomen est „Le Journal de la Haye", et semel in Instituto Belgico de rebus philologicis protulit.

§ 1. A. 1825 quattuor viri praestantissimi: Bake, Geel, Hamaker, Peerlkamp Lugduni Batavorum edere coeperunt Bibliothecam Criticam Novam, idque triplici consilio: „ad veram bonarum literarum rationem propagandam, ad civium nostrorum excitandam industriam, patriaeque existimationem tuendam" [1]).

Paulo ante scripserant: „Nos patriam intelligimus nostram, Batavamque in primis iuventutem, quam non alienis aut peregrinis industriae exemplis, sed nostris domesticisque eruditionis monumentis, quibus inde a renatis literis hae regiones illustratae sunt, ad avitae gloriae aemulationem cohortari et impellere decrevimus".

---

1) In fine Praefationis Vol. I. illa leguntur.

Vere dixit Bakhuizen van den Brink in oratione, quam in Bakii memoriam habuit [1]: „de vriendschap (Bakii et Geelii) werd de aanleiding tot een onderneming [2], waardoor de Nederlandsche filologie de boeijen eener schijnbare slaapzucht afschudde, en hare eigenaardige plaats hernam te midden van de bedrijvigheid en de woelingen in den vreemde..... Men was het moede dat het buitenland het er voor hield, alsof met den dood van Wyttenbach de Hollandsche filologie van haar meesterschap afstand had gedaan; men was het moede, dat vooral Duitsche geleerden.... zich te buiten gingen aan uitdrukkingen als deze: „„inepte Ruhnkenius"" en „„imperite Valckenaerius"" [3].

Germanicae in nostrates viros clarissimos superbiae documenta iam praebui in capite primo huius Sectionis et praebenda erunt, praecipue in Sectione de Geelii Phoenissarum editione. Multa alia conquiri possunt, si tanti est, cum ex Bibliotheca cr. nov. tum ex aliis prioris partis saeculi superioris libris et ephemeridibus.

Contra, qualem ipse Geel inter utriusque nationis viros doctos rationem intercedere vellet, his verbis adumbravit [4]: „aliquando ridiculam fere querelam omittant Germani et discant, non ignorari a nobis, quibus ingeniorum luminibus Germania illustretur. Suspicionis loco tandem succedat mutua voluntas virtutisque ac recte faciendi aemulatio, qualis decet gentes ex eadem stirpe prognatas".

Verba eius: „Cavebimus, Batavi, σὺν Θεῷ, ne resp. nostra detrimentum capiat" [5]) inania non fuerunt. Revera enim Geel eiusque amici assecuti sunt, quod volebant. Ducibus his nostrates

---

1) „Studien en Schetsen over Vaderlandsche Geschiedenis en Letteren door R. C. Bakhuizen van den Brink" Vol. III. p. 427. Prius oratio edita est a. 1865, ubi, quae attuli, leguntur p. 29.

2) Cf. praeterea Bakii Schol. Hypomn. (quae Geelio dedicata sunt) praef. p. VI.: „Sed primus fere consuetudinis nostrae fructus exstitit Bibliothecae Criticae Novae edendae consilium".

3) l.l. p. 428 (editionis a. 1865 p. 29).

4) Bibl. cr. nov. Vol. II. p. 319.

5) Vol. II. p. 318; cf. huius Sectionis p. 11 sq., 18, 26, 32.

tamquam ex sopore surrexerunt; neque solum didicerunt suo pretio aestimare opera virorum, quales fuerunt Meineke [1]), Godofredus Hermann [2]), Welcker [2]), Dindorfii [3]), Stallbaum [4]), Niebuhr [5]), Emper [6]), alii, sed mox in antiquis laudibus obtinendis ipsi elaborare coeperunt. Tertio Bibliothecae anno tres alii adiutores exstiterunt: Thorbecke, Bergman, van Lennep. Deinde surculo in dies crescente opera Geelii, Bakii, Peerlkampii, mox Karstenii, Bakhuizenii, Heckeri, imprimis Cobeti gloriam antiquam Batavis restituerunt. Sed hoc Geelio et Bakio semper erit laudi atque honori, quod inchoaverunt, quod exemplum ceteris praebuerunt, quod omnibus suis animi et ingenii viribus rem adiuverunt [7]).

Paene tertia pars omnium „Censurarum" et „Relationum" [8]), quae in Bibl. cr. nov. leguntur, a Geelio est scripta; maior etiam est pars, si excipimus ea, quae Hamaker de linguis orientalibus composuit.

Editores munera ita inter se divisisse testis est Bakhuizen van den Brink [9]), ut Peerlkampio iudicium obveniret eorum librorum, qui attinerent ad poetas Latinos, Bakio eorum, qui de Antiquitatibus Graecis et de Cicerone agerent, Geelio de Historia

---

1) Cf. Bibl. cr. nov. I. p. 40, 64; IV. p. 1.
2) Cf. Bibl. cr. nov. III. p. 377, aliis locis.
3) Cf. Bibl. cr. nov. IV. p. 409, alibi.
4) Cf. Bibl. cr. nov. IV. p. 415.
5) Cf. Bibl. cr. nov. IV. p. 425; V. p. 573; aliis locis.
6) Cf. Bibl. cr. nov. V. p. 576.
7) Cf. Bakhuizen v. d. Brink l.l. p. 428 (p. 30): „Met de ijverige deelneming van vernuften als Peerlkamp, Hamaker en Thorbecke ging men (i. e. Bake et Geel) op den man en op de zaak af; en terwijl men zich buitenslands *) ergerde aan den moedigen en fieren toon hier aangeslagen, stond Bake misschien zelf verbaasd over de rigting, welke hij met anderen zoo krachtig had ingeslagen, zoodat hij het noodig rekende de genomen vlugt tegen de beschuldiging van neologie en neoterismus krachtiglijk te verdedigen".

*) Niebuhr contra, ut alios omittam, Geelio d. 17 m. April. a. 1827 de „Bibliotheca critica nova" scripsit: „que Vous avez rétabli d'une manière aussi brillante que solide". (Epistula est in Tabulario Bibliothecae Leidensis.)

8) „Censuras" editores Bibl. cr. nov. iudicia longiora, „Relationes" autem breviora nominaverunt.
9) l.l. p. 429 (p. 30).

Literaria. Procedente vero opere non tam angustis finibus se circumscripsisse Geel videtur, nam „censurae" eius et „relationes" pertinent tam ad scriptores Graecos et priorum et posteriorum temporum quam ad tuendam gloriam et honorem philologorum nostratium; paucae insunt de literis Latinis; una tantum alterave „honoris causa" ab eo est scripta, qualis de Voorstii Io. Chrysostomi Selectis; Niebuhrii [1]) rogatu de Grauerti Aelii Aristidis Declamationibus Leptineis iudicium prompsit.

Omnibus suis „censuris" et „relationibus" nomen subscripsit, quod omnium editorum inde ab initio fuit consilium [2]).

Ex quibusdam eius censuris nonnulla iam attuli iis paginis, quibus egi de Theocriti editione, de Historia critica Sophistarum, de Hemsterhusianis, de Polybii fragmentis; alias allaturus sum in Sectione de Dione Chrysostomo.

Leviter nunc percurramus nonnullas alias, quae alicuius momenti esse mihi videntur aut ad eam, quam Geel habuit, philologiae classicae notionem et intelligentiam aut ad eius indolem et ingenium cognoscendum.

In Volumine I. valde laudavit Meinekii studia in Euphorionis Chalcidensis, Menandri, Philemonis fragmenta [3]). De disputatione quadam Brouweri [4]) quominus iudicium faceret, defugit his verbis:

---

1) Vide epistulas a Niebuhrio ad Geelium datas, quae in Tabulario Bibliothecae Leidensis asservantur. Geelio permisit, ut emendationibus suis in Grauerti opere diiudicando uteretur, sed addidit: „ne vous gênez jamais avec moi".

2) Cf. Praefatio Vol. I.

3) P. 81 Geel in versibus, qui sunt (Stobaei Serm. LXI.):

Τῆς οὐσίας ὅσοις μὲν οὖν πρᾴως ἔχει
Νέοις ἔτ᾽ οὖσι τοῦτο προστάττειν ποιεῖν

accepta Meinekii coniectura, quae est προστάττω, pro „τῆς οὐσίας" proposuit: συνουσίας, pro „πρᾴως": ἔρως.

Cobet (cf. Epistul. p. 183) memor prioris Geelii coniecturae, alterius autem oblitus conatus est reliqua restituere emendando „πρᾴως" in ἔρως. Qua de coniectura Geelii iudicium rogavit. Recte Epistularum editores annotaverunt: „Geel zal de voorgestelde lezing van Cobet wel met een grap beantwoord hebben".

4) Proeve over de zedelijke schoonheid der poëzij van Homerus, en den invloed der denkbeelden, aangaande God en Gods bestuur, op dezelve, Lugd. Bat. a. 1825.

„Verum quid ego exteris illa commendo? Belgica sunt, non leguntur" [1]).

Ex eiusdem voluminis p. 264 accipimus Geelium „literarum emolumentum cogitantem" Blumio in usum „Observationum Criticarum in Polyaenum" nonnulla subsidia ex schedis Hemsterhusianis, Ruhnkenianis, Vossianis dono misisse [2]).

In Volumine II. Karstenii disputationis literariae de tribus Pindari carminibus censuram egit. Confitetur se et hoc libro perlecto et Tafeli Dilucidationibus Pindaricis „numquam magis comperi(sse) non omnino veras esse eorum voces, qui antiquos scriptores satis explicatos esse perhibe(a)nt" [3]), deque Karstenii libro haec censuit: „auctorem probabili linguae scientia et poëticae dictionis accurata observatione, huic laboris sui fructui quandam maturitatem conciliasse: tum pulcritudinis agnoscendae facultate, quae plurimum ad Pindari intelligentiam confert, et disserendi perspicuitate effecisse, ut non unum locum Poëtae vel melius quam caeteri Interpretes exponeret vel defenderet ab eorum infelici conatu" [4]).

---

1) Bibl. cr. nov. Vol. I. p. 243 sq.

2) Cf. huius Sectionis p. 8.

3) l.l. p. 42.

4) l.l. p. 45.

Francken in Karstenii vita („Maatschappij der Ned. Letterkunde" a. 1865 p. 67) haec exhibet: „Aan zijne dissertatie had Karsten behalve zijn doctoralen graad de vriendschap van Geel, die op zijn toekomst een groot gewicht uitoefende, te danken."

Karstenio, qui ei pro censura gratias egerat, Geel d. 21 mens. Iun. a. 1826 haec respondit (epistula asservatur in Bibliotheca Leidensi): „Summo opere gaudeo te censuram operis tui aequo animo tulisse: paucissimi sane sunt, qui vel minimam reprehensionem patienter audiant, nec indignentur, in quibus ipsi diu desudaverint, haec ab aliis, brevis tantum temporis consuetudine cognita, censeri. . . . . Tu vero (nam quod palam professus sum, quominus nunc repetam, nihil impedit) tu recta via insistis: quare perge, mi Karsteni! et, si me audis, in hoc genere elabora, in quo plurimum te praestare posse senties: contrahendae enim sunt ingenii vires, nec latius in hoc immenso literarum ambitu, exspatiandum . . . ."

Ex crebriore Geelii et Karstenii epistularum commercio apparet, quantopere Karstenii vitae et studiorum cursus Geelio cordi fuerit. Imprimis ex tribus epistulis (d. 6 mens. Aug. a. 1839; d. 5 m. Oct. a. 1839; d. 9 m. Ian. a. 1840 datis) coniciendum mihi videtur Geelium enixe operam dedisse, ut Karsten Traiecti ad Rhenum in locum Heusdii succederet.

Contra Reyndersii [1]) editionem Platonis Symposii in eodem volumine improbavit: „apparet, inquit, in Editore probabilis Platonis et Socraticorum cognitio, sed non pauca video vel non satis diligenter administrata, vel omissa, vel per festinationem errata" [2]). Haec praecipua sunt, quae Reyndersio obicit: neglexisse eum quaestionem de vera indole Symposii Platonici [3]); Bekkeriano textu exstante Stephanianum textum eum secutum esse, quo facto de multis rebus supervacaneo disputaverit [4]); non recte denique pertractata arbitratur, „quibus aliquid de(si)t ad concinnam disputationis integritatem" [5]).

Ex Liskovii libro de Pronuntiatione et Accentu Graecis [6]) non multum lucri accipi putat: „nec aliud — ita enim scripsit — vicit Liskovii disputatio, nisi quod sciunt qui in his versantur, accentus graecos nescio quam habere potestatem, eorumque ope indicari, quae syllaba altiore voce, quae depressiore a Veteribus enunciata sit. Hoc igitur observent, qui hodieque, accentus cum syllabarum quantitate confundendo, pulcherrimae linguae numerum poëticum obscurare pergunt" [7]). Nihil sub sole novum, ut est in proverbio. Geel si nunc viveret, valde abhorreret ab iis, qui accentus Graecos delendos esse clamant. Sed verba eius scripta adhuc manent [8]).

---

1) Platonis Symposium, ad optimorum librorum fidem edidit, atque interiectis D. Wyttenbachii animadversionibus, adnotatione instruxit P. A. Reynders, Groningae a. 1825.

2) l.l. p. 266.

3) Cf. l.l. p. 268.

4) Cf. l.l. p. 269.

5) l.l. p. 269.

6) Ueber die Aussprache des Griechischen, und über die Bedeutung der griechischen Accente. Nebst einem Anhange über die Lateinischen Accente... von Dr. K. F. S. Liskovius, Lipsiae a. 1825.

7) l.l. p. 285.

8) Iis, qui diarium, cui nomen est „de Gids", edendum curabant, d. 16 m. Maii a. 1838 scripsit: „Ik heb een groot zwak voor correct Grieksch: om een verkeerd accent zou ik ziek kunnen worden". (Epistula haec asservatur in Bibliotheca Amstelodamensi.)

In alia eius „censura" in diario, cui nomen „de Gids", a. 1839 p. 37 haec legimus: „Het schijnt, dat er voor den Heer Sterk typographische redenen bestaan hebben, om de Grieksche aanhalingen zonder accenten te drukken. Wij

Volumen III. sex tantum „censuras" Geelii exhibet. Improbavit Aeschyli Persarum editionem, a Langeo et Pinzgero instructam, suasitque editoribus, ut industriam „in prosae orationis scriptore colloca(rent).... quia nihil decet invita Minerva, id est adversante et repugnante natura" [1]).

Probavit Frotscheri opus: „Quinctiliani Instt. Oratt. Liber Decimus" [2]).

Laudavit Westrikii disputationem literariam inauguralem „de Aeschyli Choëphoris, deque Electra cum Sophoclis tum Euripidis" [3]). Maximis laudibus effert Godofredi Hermanni de Aeschyli Philocteta disputationem, in qua eius „criticae facultatis excellentia eluce(a)t" coniuncta „cum rationis grammaticae severitate" [4]).

Hengelium Annotationem suam in loca nonnulla Novi Testamenti „insigni doctrina et diligentia" scripsisse et profanos, qui dicuntur, scriptores utiliter adhibuisse atque optime explicuisse et feliciter emendasse iudicat [5]). Flagitat „ab Hengelio aliisque, qui eodem sunt ingenio et exquisitis eruditionis copiis, ut.... erigant paulatim iacentes Patres, quorum lectio non modo philologiae sacrae causa, quamquam hoc magnum est et a multis

---

hebben ergens gelezen, dat een regel ongeaccentueerd Grieksch naar een rij soldaten zonder geweer gelijkt. Het zouden dus eigenlijk onervaren recruten zijn, onder aanvoering van den drilmeester. De Heer Sterk heeft de bevoegdheid (men kent hem) om een gansch bataillon veteranen te commanderen: wij raden hem daarom, dat hij in het vervolg, bij de thans bereikte hoogte der taktiek, zijne troepen geheel slagvaardig make."

In Responso illius, cui titulus est „Gesprek van J. M. Elink Sterk met de Recensenten", milites rursus armati adducuntur. Utinam omnes homines essent sapientes!

1) l.l. p. 126.

2) l.l. p. 266 sqq.

3) l.l. p. 363 sqq.

4) l.l. p. 381.

G. Hermann Geelio per literas gratias egit (d. 2 m. Iul. a. 1827; epistula asservatur in Tabulario Bibliothecae Lugd. Bat.): „neque enim ita meis opinionibus fidere soleo, ut non, quo doctiores viros in eadem esse sententia videam, eo minus me errasse existimem: quod contra, ubi dissentientes invenio, dubitare de meis ipse placitis incipio."

5) l.l. p. 400.

praecipuum habetur, sed propter ipsorum etiam dotes et facundiam a tironibus expetatur" [1]).

Denique Fritzsche, cuius „Lucianum" iam attuli in ea parte, qua de Hemsterhusianis egi [2]), qui et in Hemsterhusium et in Geelium probra iecerat, hoc modo vapulat [3]): „Si statim ab initio dixero, Editorem Hermanni discipulum esse, multam eruditionem, rei grammaticae peritiam, iudicandi promtam facilitatem, egregia quaevis expectanda nemo non sentiet: quas facultates quum multi praepostere impendant, ex horum numero Fritzschium eximendum ita duco, ut tam praeclaras dotes satis in eo praedicare nequeam: quibus si quando modestia accesserit, augendis doctrinae praesidiis ea exsistet perfectio, quae aliorum movere invidiam possit" [4]).

Volumine IV. novem „censurae" Geelii continentur, quibus laudantur opera Meinekii [5]), Grauerti [6]), Welckeri [7]), L. Dindorfii [8]), Stallbaumii [9]), Voorstii [10]), Niebuhrii [11]), Peerlkampii [12]); tantum Maii Polybiana aliqua ex parte improbantur [13]). Neque tamen de

1) l.l. p. 402.

2) Cf. huius Sectionis p. 12 sq.

3) l.l. p. 412.

4) H. Schäfer d. 21 m. Ian., Naecke d. 7 m. Febr., Niebuhr d. 17 m. April., G. Hermann d. 2 m. Iul. a. 1827 Geelio de Fritzschii protervitate scripserunt. (Eorum literae asservantur in Tabulario Bibliothecae Leidensis.)

Ipse Fritzsche d. 6 m. Iun. a. 1827 Geelio respondit: „Faciam nunc, id quod meum esse probe intelligo, et faciam lubenter, ut, quoniam infectum reddi nequit, quidquid retro est, etiam atque etiam a Te petam, velis impotentem, qua Te insectatus sum, vehementiam omnem dare vel acri ingenio, quod mihi natura tribuit, vel etiam veritatis cuidam amori meo, fortasse minus interdum considerato, in se tamen laudabili. Reprehensione Tua monitisque Tuis per se intelligitur ea fide me usum esse, ut ex iis ad mea studia multum utilitatis redundaret." (Haec quoque epistula asservatur in Tabulario Bibliothecae Leidensis.)

5) Quaestionum Scenicarum Specimen primum.

6) Aelii Aristidis Declamationes Leptineae. (Qua de censura in Tabulario Bibliothecae Leidensis epistula Niebuhrii ad Geelium data asservatur; cf. p. 49).

7) Theognidis Reliquiae.

8) Diodori Bibliotheca historica.

9) Platonis operum Vol. I.

10) Ioannis Chrysostomi Selecta.

11) Corpus Scriptorum Historiae Byzantinae.

12) Taciti Agricola.

13) De quibus vid. supra p. 16 sqq.

iis libris agendum videtur, quorum Geel censuram egit, sed de ipsius tantum in iudiciis faciendis via et ratione.

Pergo igitur ad Volumen V., ex quo nonnulla, quae memoria digna videntur, excerpam. Voluminis V. prior pars edita est a. 1830, altera pars a. 1831; illa Geelii tres „censuras", haec sex „relationes" continet.

Hauptii [1]) doctrinam et acumen laudavit; iudicandi autem prudentiam saepe desiderari dixit, quam ob rem eum monuit, „ut in instituto quidem discendi scribendique itinere perg(eret), pleraque vero diiudic(aret) severius, intemperantiam sciendi cohibe(ret), et quaedam ignorare vel(let)" [2]).

De Gorgia a Fossio edito iam scripsi, ubi egi de Geelii Historia critica Sophistarum (p. 6 sq.).

Vehementer Geel laudavit Courierium [3]), qui „Longi Pastoralia" ediderat: „literas graecas adamabat, non quod Gallus erat — apud quos iamdiu haec studia iacent, nec tractantur nisi a paucissimis, avitam existimationem vix retinentibus; — sed ille vero castoque amore ferebatur ad venustatis speciem, quam illibatam nullibi reperiebat nisi in Graecorum monumentis" [4]). Longius exspatiatus de Courierii simplicissimo et hilarissimo scribendi genere [5]), quo indicaret „unde factum esset, ut Longum peculiari amore complecteretur" [6]), de Longo ipso fusius egit, a quo nonnulli abhorrebant cum ob nimiam simplicitatem narrandi tum ob verborum obscaenitatem. Illam tuetur, huius patronus haberi non vult, sed dissuadet, ne Longus puellis tradatur: „ne matronis quidem, quod imprudenter faciebat Courierius, facete et eleganter, ut omnia solebat, ad Clavieriam scribens" [7]).

1) In Aeschyli Supplicibus.

2) l.l. p. 100.

3) Valde differt Cobeti iudicium: cf. „Brieven van Cobet aan Geel" p. 135, 250, 254.

4) l.l. p. 234 sq.

5) Quod p. 235 his verbis comprehendit: „ut pronus erat ad iocandum, quamquam acrior subinde ac nimis aculeatus, numquam nisi ingeniosissime ludebat, nec ad scurrilem descendebat levitatem." Erant communi quodam ingenio Courier et Geel.

6) l.l. p. 236.

7) l.l. p. 238.

Altera pars Voluminis V. continet sex „relationes" breviores: primam de Eberti opere, cui titulus est „Allgemeines Bibliographisches Lexicon". „Quod de critica, inquit, vere dixit Ruhnkenius, nullam esse artem ac disciplinam, quae plus vel infamiae vel invidiae contraxerit, hoc ego quum ante sine exceptione intelligendum esse credidissem, postea comperi esse praeterea artem quandam, quae non modo eadem infamia prematur, sed quam multi plane nullam esse putent: bibliographiam dico" [1]. Ebertum autem dicit „veterum literarum amantes obstrinxisse accurata descriptione plurimarum editionum" [2].

Alterum volumen Io. Chrysostomi Selectorum editum Voorstio, qui praeerat Bibliothecae Lugd. Batavae, gratulatur opusque eius commendat adolescentibus, „qui Patrum Graecorum lectionem ingrediuntur, quique discere cupiunt quid liberaliori Theologiae commune sit cum literis" [3].

Deinde ex G. Hermanni editione Aristophanis Nubium nihil fere nisi eius sententiam de consilio Nubium et de Socrate tractavit. Aliae quoque Aristophanis editiones Geelio hoc de libro relaturo allatae erant: „magnus, inquit, hic librorum proventus in uno circumscripto genere nescio quomodo non recreat animum, in his aerumnosis temporibus facile invidentem iis quibus deus haec otia faciat: quippe nobis labante re publica ne datur quidem in his literarum fluctibus ubi consistere possimus; depellenda vero fortiter est omnis maligna perturbatio: quamobrem illorum bonorum exploratio in aliud tempus differetur, ac brevius etiam de Hermanni libro nunc memorabo quam initio constitueram" [4].

Geel non minus quam literas humaniores amabat patriam; cuius dolor et detrimentum ipsum quoque dolore afficiebant. Bellum autem a. 1830 exortum etiam Bibliothecam criticam novam perdidit.

---

1) l.l. p. 514.
2) l.l. p. 517.
3) l.l. p. 534.
4) l.l. p. 554.

Tres libros praeterea in hoc postremo volumine diarii recognovit, ex quibus de Emperii in Dionem Observationibus acturus sum in Sectione de Geelii Olympico.

§ 2. Karstenio a. 1838 Geel scripsit: „Gij weet dat ik nu en dan iets in den Letterbode schrijf (zoo gij hem leest). Somtijds anonym; somtijds zet ik er mijn G. op.... Voor beredeneerde verslagen en gedrongen recensien is de Letterb. het beste en waarlijk het fatsoenlijkste orgaan" [1].

Ad rem nostram autem ex illo diario pauca tantum afferenda sunt.

A. 1832 „Novum Carmen Latinum", quod videtur a Peerlkampio esse confectum [2], ab obtrectatore defendit [3].

A. 1838 cum Brouwero [4] fecit contra Forchhammerum [5], hominem seditiosum, participem consiliorum eorum, qui nominabantur „la jeune Allemagne". Is detexerat, quod per duo et viginti saecula occultatum fuerat, Socratem fuisse virum probum, sed civem pessimum. „Hij vereerde" — ita Geel — „andere Goden, dan de Staat (zoo bewezen Anytus, Melitus en Forchhammer): hij bedierf de jeugd (zeggen de democraten van Athene en van Kiel), en hij verbrak den burgereed, dien hij als jongeling afgelegd had (zoo liegt ieder, die het durft te zeggen)" [6].

Eodem anno introduxit „Disquisitionem de L. Aelio Stilone.... Rhetoricorum ad Herennium, ut videtur, auctore", quam J. A. C. van Heusde scripserat [7].

---

1) Epistula asservatur in Bibliotheca Lugd. Bat.

2) Vide Hamakerae Disp. Lit. p. 4.

3) Cf. part. II. p. 185—188. Quamquam hoc loco nomen non subscripsit, apparet tamen ex parte altera, p. 454, Geelium defensionem scripsisse.

4) Apologia Socratis contra Meliti redivivi calumniam, sive iudicium de P. G. Forchhammeri libro inscripto: Die Athener.... Auctore P. v. Limburg Brouwer, Gron. a. 1838.

5) Die Athener und Socrates, die Gesetzlichen und der Revolutionär, von P. W. Forchhammer, Berol. a. 1837.

6) l.l. part. I. p. 348.

7) l.l. part. II. p. 442-444.

Iudicium, quod Geel a. 1840 [1]) de Symbolis Literariis dedit, infra commemorabo.

Haec sunt, quod sciam, quae Geel in diario, quod inscribitur „Alg. Konst- en Letterbode", de literis humanioribus protulit.

§ 3. Pergamus ad diarium, cui nomen est „De Gids", in quo inde ab a. 1837 per quinque annos semel in anno [2]) Geelium scripsisse constat [3]). Quod a. 1840 de Potgieteri libro, cui titulus est „Het Noorden", rettulit, ad rem nostram non attinet. Restant quattuor capita, e quibus duo coniungam, quae a. 1837 et a. 1841 in diario, cui nomen „de Gids", de „Symbolis Literariis" scripsit.

A. 1837 nomine non subscripto laudavit [4]) Symbolas illas a publicis gymnasiorum doctoribus tunc primum editas iisque, qui ediderant, acclamavit: „dat zij in 's Hemels naam voortgaan: het zal hun steeds beter gelukken" [5]). Tamen a. 18 m. Aug. huiusce anni Karstenio iam scripsit: „Zijt gij lid van het S c h u l-m ä n n e r-V e r e i n? dan was er hoop, dat gij de S y m b o l a e C r i t i c a e hielpt s t ij v e n: het begin is eenigszins flaauw: maar het kan beter worden. De onderneming is goed, en ik heb

---

1) Part. I. p. 92—93.

2) Idem Hamakera p. 122 affirmat. Groenewegen in Potgieteri vita errat.

3) Errat Woltersia („Noord en Zuid" a. 1899 p. 485), ubi dicit: „het komt mij voor, dat sinds de oprichting van (den Gids) de Algemeene Konst- en Letterbode bij hem meer op den achtergrond geraakte". Quod refutatur iis, quae ex epistula ad Karstenium data attuli. Vel septies inde ab a. 1838 usque ad a. 1841 in diario, cui nomen est „Alg. Konst- en Letterbode", scripsit.

Ex crebro autem literarum commercio, quod fuit inter Geelium et eos, qui novum diarium edendum curabant, facile intellegitur auctoritatem eius multum apud illos valuisse. Hamakera illas epistulas edidit in diario, cui nomen „de Gids", a. 1906 vol. III.

4) l.l. p. 392—396; p. 394 apparet, cur nomen non subscripserit.

5) l.l. p. 396. De hac relatione Geel scripsit iis, qui diarium edendum curabant: „Het stond drie uren nadat het boek ontvangen was, op het papier: de vlugtigheid dezer behandeling kan hij hiermede alleen verontschuldigen, dat hij reeds halverlijfs in het portier van de Diligence stak om naar Duitschland te vertrekken, en niet besluiten kon er geheel in te kruipen vóórdat hij uitgegalmd had, hoe aangenaam hem de verschijning van het boek was."

ze zelfs, anonym, in de gaauwigheid toegejuicht in het laatste n⁰ van den Gids. Ik was na lange persing een artikel aan dat Journaal schuldig" [1]). D. 14 m. Maii a. 1838 ab amico petivit, ut componeret „iets stevigs voor het IIIde deel".... „ik houd mijn hart vast, als ik denk, dat die dingen in handen van een fikschen Duitschen Recensent vallen". Paulo infra prius iudicium, quod fecerat in diario, quod inscribitur „de Gids", ita excusat: „ik dacht: „„slikken (?) maar en aanmoedigen: misschien krijgen wij het zoodoende goed"" — maar het tweede deel heeft wel iets, maar niet genoeg gewonnen. Indien het IIIde deel niet geheel anders er uitziet, dan zijn Uw tijd en reputatie tegoed, om in dien slobberboel te zwemmen" [1]). D. 3 m. Iun. a. 1838 de eadem re haec scripsit: „wanneer zij met een paar observatien over een Auteur voor den dag komen, laat het dan ten minste blijken, dat zij de literatuur van dien éénen schrijver bijgehouden hebben, en niet met dingen voor den dag komen, die hunne discipelen weten moeten. — Het doet mij hoofdzakelijk leed, omdat het ding buitenslands zulk eene droevige figuur moet maken" [1]).

In diario, cui nomen est „Alg. Konst- en Letterbode", a. 1840 [2]) professus est vituperationem vol. III. Symbolarum, quae eo anno in diario „de Gids" prodierat, a se scriptam non esse, quamquam „hij het zich tot geen oneer rekent, dat zij hem toegedicht wordt:.... indien zijne pen, die door huivering terug gehouden is, vaardig geworden was, zou hij op dezelfde slotsom neergekomen zijn: stellige afkeuring.... Men zou bijna vermoeden, dat de Redactie der Symbolae den stand der philologische geleerdheid in ons Vaderland miskent, en dat zij zich een publiek voorstelt van uitrustende en keuvelende dilettanten.... Duitschland neemt, gelijk gebleken is [3]), de Symbolae tot maatstaf dier studiën in ons land, en — keert ze den rug toe".

1) Asservantur hae literae in Bibliotheca Lugd. Bat.

2) Part. I. p. 92, 93.

3) Apparet ex diario, cui nomen est „de Gids", a. 1840 p. 39 scriptum fuisse de „Symbolis" in diario, quod inscribitur „Hall. Alg. Litt. Zeitung".

Symbolarum editores volumini quarto praefationem praemiserunt, in qua cum aliis argumentis tum hoc se defenderunt: „si Germani vel Francogalli publicos in patria nostra Gymnasiorum doctores, qui Symbolas conferunt, ab Academiae Lugdunensis professoribus, qui Bibliothecam Criticam ediderunt, non satis distinguunt, non est quod quis propterea nobis indignetur" [1]).

In diario, cui nomen est „de Gids", a. 1841 Geel de volumine IV. Symbolarum iudicavit [2]): laudavit quae Ekker contra Thierschium de gymnasiis patriis scripserat [3]); animadvertit in A. de Jonghii „Observationes ad quaedam loca veterum": „het is niet mogelijk, zes hoofd-auteurs zoodanig binnen te hebben, dat men de geschiedenis hunner teksten tot op den dag kent; dat men gemeenzaam geworden is met de individualiteit van hunnen stijl, en met dezen eenigen maatstaf het verschil der lezingen en de kritiek van anderen beoordeelen, en zelf eene blijvende uitspraak doen kan" [4]); de commentatione, quam Epkema conscripserat, iudicare omisit; eundem vero iratum iis, quae Geel observaverat in diario, quod inscribitur „Alg. Konst- en Letterbode", his duobus vocabulis sevocavit: „Wel Epkema!" [5]).

In extremo iudicio sic scriptores cohortatus est: „Het Vierde Deel staat boven het Derde. Waarom zou een Vijfde niet boven her Vierde kunnen staan? Wij bidden de meergeoefende leden der Societas, dat zij toeschieten en een handje helpen".

Volumen V. revera Geelio magis placuisse apparet ex epistula ad Cobetum data [6]).

D. 16 m. Ian. a. 1838 iis, qui diarium, cui nomen „de Gids", edendum curabant, Geel scripsit sibi recusandum esse, quominus

---

1) p. VII.
2) p. 133—145.
3) p. 136, 137.
4) p. 143.
5) p. 145.
6) „Brieven van Cobet aan Geel" p. 406.

referret de volumine I. operis inscripti „Histoire de la Civilisation morale et religieuse des Grecs", quod P. v. Limburg Brouwer a. 1834 ediderat, sed d. 15 m. Maii iudicium misit atque petivit, ut quam celerrime prelo submitteretur. Quae consilii mutati causae fuerint, ignoro, quamquam fuisse quasdam ex epistula eius apparet. Unam tamen ex iis hanc fuisse conicio, quod in libro, quem inscripsit „Onderzoek en Phantasie", qui isdem temporibus edebatur, Brouweriano operi nonnulla obiecerat [1]), quam ob rem festinavit de eo iudicium ferre, antequam suum librum in lucem emitteret [2]).

Quod quattuor demum annis post librum editum iudicium dedit, de ea re hoc modo se excusavit: „men onderscheide tusschen Verslag of aankondiging, en Beoordeeling. Terwijl eene beoordeeling uit haren aard altijd iets aanmatigends heeft, wordt zij onverdragelijk, wanneer zij bijna geen' tijd meent noodig te hebben, om over een boek van uitgebreide geleerdheid, of diepe redenering, een vonnis uit te spreken. Waar is de man, die terstond te huis is op het terrein, dat een Schrijver doorwerkt heeft" [3]).

Postquam minime sibi probari exposuit, quod liber lingua Franco-Gallica sit scriptus, primi voluminis capita percurrit suasque observationes inserit, quales sunt: „wij meenen soms eene neiging bij hem te bespeuren, om aan latere getuigenissen al te veel gezag toe te kennen, op grond der vooronderstelling, dat zij uit oudere bronnen geput zijn. Indien Apollodorus of Tzetzes, of dergelijken hunne verhalen ontleend hebben uit eene poëzij, die tot beschaafder tijden behoorde, dan kunnen de voorbeelden van zuivere zeden, welke zij aanvoeren, zeer wel verdichtsels zijn, die de weelderige verbeelding dier Dichters niet verkleind heeft [4])....
wij zouden lust hebben te beweren, dat de oudste Grieken veel

---

1) Cf. p. 25 huius Sectionis.

2) Illius operis iudicium legitur in diario, quod inscribitur „de Gids", p. 337—345, huius autem p. 461—473.

3) l.l. p. 344.

4) l.l. p. 340.

minder overdreven hebben dan de latere" [1]). Totum opus nihilominus Geelio admodum placuit [2]).

Restat iudicium, quod in diario „de Gids" Geel fecit de libro, cui titulus est „Over den Schrik en het Medelijden in het Grieksche Treurspel", a. 1838 a J. W. Elink Sterk edito.

Illud „δι' ἐλέου καὶ φόβου" id temporis quoque animos movisse apparet, nam etiam diarium, cui nomen est „Letteroefenaar", hoc de libro scripsit; tum et ipsum librum et iudicia de eo prolata denuo in iudicium vocavit Brouwer [3]); respondit denique Sterk [4]).

Geel Sterkii opus valde laudavit [5]). Scripsit enim: „Beide Verhandelingen zijn met overtuiging en warmte geschreven, en met dat innige bewustzijn der bewondering, dat de kenner der Oudheid alleen gevoelt" [6]). Quod Sterk altera oratione de „ἐλέει" (in Antigone), altera de „φόβῳ" (in Electra) egerat, qua ratione tantum partem eorum, quae dicenda erant, dicere potuit, temporum magis mores quam editorem Geel accusavit.

Quamquam cum Sterkio fecit hac in re: „het treurspel is de nabootsing van eene handeling, die schrik en medelijden verwekt, waardoor als door een tooverzang (μέλος καθαρτικόν, ἐπῳδή, cantus, carmen, piaculum) de schrik en het medelijden, en de daarmeê verbondene aandoeningen der toehoorders, slechts derzelver aangename en voor den mensch heilzame kracht behouden" [7]), dubitavit, annon ista sit sententia Aristotelis. Putavit enim κάθαρσιν nihil esse nisi: „ontleediging voor het

1) l.l. p. 341.
2) Cf. p. 338 et 344.
3) Proeve eener Recensie door een niet-recenserend Schrijver. Ook onder den titel van: Alweder iets over het Grieksche treurspel door P. van Limburg Brouwer, a. 1839.
4) Gesprek van J. W. Elink Sterk met de Recensenten, a. 1839. Qui quam maximas gratias Geelio egit.
5) In diario, quod inscribitur „de Gids", a. 1839 p. 29—37.
6) l.l. p. 29.
7) l.l. p. 34.

o o g e n b l i k. Even als *καθαίρειν αἷμα* en *κάθαρσις ἄγους* Grieksch is, zoo is *κάθαρσις τῶν τοιούτων παθημάτων.* de zuivering of w e g n e m i n g van schrik, medelijden, hoop, vrees, angst enz., die de beschaafde mensch behoefte heeft om te gevoelen, en bij de voorstelling eener schoone nabootsing gevoelen kan, zonder het pijnlijke, dat ze in het werkelijke leven vergezelt" [1]. Karstenii iudicium de hac interpretatione eum rogavisse non est cur miremur [2].

§ 4. Denique duo Geelii iudicia mihi afferenda sunt, alterum de Heusdii „Brieven over het beoefenen der Wijsgeerte", quod legitur in ephemeride, cui nomen est „le Journal de la Haye", a. 1837, alterum de Hartungii „Iphigenia in Aulide" eiusque „Euripide Restituto" in Relationibus Classis Tertiae a. 1846.

Geelium valde discrepasse ab Heusdio, quis est, qui dubitet? Quod occasionibus oblatis professus est in literis, quas dedit ad Karstenium et ad eos, qui diarium „de Gids" edendum curabant.

D. 13 m. Sept. a. 1837 Karstenio scripserat: „ik zie niet in, waarom dat overdreven systema eindelijk niet zoover gaan kan, dat men bijv. Herodotus voor een philoplaton per inspiratie en voorgevoel houdt" [3]. Duobus mensibus post in ephemeride, cui nomen est „Le Journal de la Haye" [4], Heusdii opinioni [5], qua Hemsterhusium, Valckenaerium, Ruhnkenium, Wyttenbachium inter illos philosophos numeraverat, repugnavit.

Ex iis, quae in hoc iudicio attinent ad literas veteres, memoria digna mihi videtur haec Geelii sententia de philologiae via ac ratione in nostra patria observanda: „Le Hollandais, s'il comprend sa

---

1) l.l. p. 35.

2) D. 4 m. Jan. a. 1839 ei scripsit: „Lees eens in den Gids een artikel over Sterk's S c h r i k e n M e d e l ij d e n. Ik heb er in geketterd. Maar zeg mij bij gelegenheid uwe opinie over die nieuwe uitlegging van de veel besprokene en bestredene (?) plaats van Aristoteles". (Literae asservantur in Bibliotheca Lugd. Bat.)

3) Epistula asservatur in Bibliotheca Leidensi.

4) D. 26 m. Nov. et d. 15 m. Dec. a. 1837.

5) Allata est in „Brieven over het beoefenen der Wijsgeerte".

vocation, continuera de travailler.... comme à l'époque de sa gloire philologique [1]). Grâces à Dieu, dans ce moment même, nous n'avons pas raison de nous plaindre. Je m'abstiens de citer des noms révérés; mais je suis convaincu qu'il est urgent pour nous de travailler sans relâche au renforcement de la base des bonnes études; elle en a continuellement un grand besoin. Cela n'empêchera pas, que nous n'étudions le mouvement de la science en Allemagne; c'est, au contraire, une condition de rigueur, par la simple raison, que tout principe, qui n'est pas une inébranlable vérité mathématique, peut souffrir ou se modifier par la réaction des conséquences, qui en sont déduites. Je citerais l'école célèbre de Leipsig, si ma thèse avait besoin d'une démonstration".

De Greuvii „Wederlegging" [2]) ne iudicium faceret, rogantibus iis, qui diarium, quod inscribitur „de Gids", edebant, Geel recusavit [3]).

---

1) Valde memoria digna sunt, quae hac de re Von Wilamowitz nuper Lugduni Batavorum dixit (cf. ephem., cui nomen est „N. Rotterdamsche Courant", d. 12 m. Mart. a. 1909): „Het voordeel van de Hollandsche philologie is geweest en moet blijven de grondige kennis van de taal. Hierin hebben de Hollanders een groot kapitaal, waarvan men hopen mag dat het voor de wetenschap van alle landen rijke rente zal dragen. Wanneer zij in die richting werken, zal hun arbeid niet het karakter dragen van het helaas al te vele wat tegenwoordig overal wordt voortgebracht tot kortstondig bestaan. Het maakt beteren indruk voor het oog en het is streelender voor de ijdelheid om dadelijk gevolgtrekkingen te maken, dan om door ingespannen arbeid de voorwaarden te bepalen waaronder men later misschien tot gevolgtrekkingen kan komen, maar alleen met het laatste werk houdt de wetenschap rekening . . . . Studeert niet philologie zooals wij Duitschers, maar op uw eigen, Hollandsche manier".

2) Cf. „Brieven in antwoord van F. C. de Greuve" p. 9.

3) Iisdem d. 6 m. Oct. a. 1837 scripsit: „Het.... Exempl. der Wederlegging moet ik beleefdelijk terugzenden: het is mij onmogelijk woord te houden; de pen valt mij uit de hand, wanneer ik bedenk, niet dat ik in vriendschappelijke betrekking tot Prof. van Heusde sta (dit zou eene heusche recensie niet in den weg staan), maar dat bij huiselijk onheil, dat hem grieft, die wederlegging hem moedeloos gemaakt heeft. Ik zou dit tegenschrift, niet in toon, maar in de zaak moeten goedkeuren. Men doet beter, er van te zwijgen".

Iudicium suum de Greuvii „Brieven in Antwoord" uno anno post editis cum Karstenio d. 3 m. Iun. a. 1838 communicavit (epistula est in Bibliotheca Lugd. Bat.): „Het boek van prof. de Greuve heb ik gelezen. Het heeft een

§ 5. Phoenissarum editionis pagella extrema Geel promiserat se alias „respecturum esse .... docte acuteque scriptum librum Hartungii Euripidem restitutum".

A. 1847 in Relationibus Classis tertiae edita est Geelii commentatio: „*Over de uitgaaf van de* Iphigenia in Aulide, *en van den* Euripides restitutus, *door den Heer* J. A. Hartung" [1]).

Totam Hartungii operam sic ridicule carpit: „(hij heeft) zich tot het lezen van Euripides gezet, om zijne vier loketten (interpolationum a scenicis, philosophis, criticis, librariis factarum) met de uitgevonden interpolatiën der vier klassen te vullen. Het vullen is aangenaam, wanneer er eene ruimte is die men gevuld wenscht: de Heer Hartung is, zou men zeggen, verleid geworden om voor ondergeschoven te houden wat van den echten stempel is.

Enkele malen neemt hij de moeite om zijne meening, steeds op een apodictischen toon, te bewijzen, somtijds doet hij dit kort af; zelfs rekent hij zich nu en dan geen bewijs schuldig te zijn: zóó overtuigend komt hem de zaak voor!" [2])

Haec pertinent ad primum caput libri Hartungiani editi a. 1837, cui titulus est „Iphigenia in Aulide".

vreemde weifelende houding tusschen vriendschappelijke ironie (?) en nijdige persiflage. Dat hij van Heusde beantwoordt, als of deze aan hem geschreven had, is zoo — olijk, dat ik wezenlijk medelijden heb met v. H. Ik zie niet in, dat er tegen dat boek veel te schermen is. v. H. doet best te zwijgen. En wat dan? Hij is te oud geworden, om te philologiseeren, in den zin, zooals gij en ik en nog een paar anderen het bedoelen. Het is een treurige ondervinding voor hem, dat zijn werk, dat hij als resultaat van veeljarige studie levert, en waarmede hij blijkbaar zelf veel opheeft, zoo onder zijn handen weggebroken wordt".

1) p. 444—462.

Vosmaer (in „Spectatore" a. 1886 p. 112) optavit, ut omnia Geelii opera integra ederentur. Nominatim attulit Geelii iudicium de Hartungii „Euripide restituto" et libellum, cui titulus „Pillen en Beenen".

Vota nimis pia, nam „Pillen en Beenen" non est Geelianum et iudicium de „Euripide restituto" nostris temporibus minoris momenti esse mihi videtur. Ephemerides expleri necesse est semperque fuit.

2) l.l. p. 445.

Quem a 1843 secutum erat opus, quod inscribitur „Euripides restitutus: sive scriptorum Euripidis ingeniique censura", quo Hartung probare conatus erat Euripidem omnibus aliis poëtis excepto Homero praeponendum esse et tragoedias atque fragmenta eius in novum ordinem digesserat.

Geel ostendit Hartungii sententiam prorsus mutatam esse eumque et singulos locos et totas fabulas, quae in priore libro quam vehementissime oppugnaverat, in altero quam maxime laudasse, priorem sententiam alto silentio prementem.

Defendi ea magis Geelio placuit quam ea ita laudari, ut „het .... vermoeden ontstaa(t) dat hij, aan het hoofd eener reactie tegen de al te lage schatting van de Euripideïsche poëzij, zijn verstand en smaak verwrongen heeft, om alles te billijken, zelfs wat hem vroeger niet geheel zonder reden mishaagde. Hieruit laat zich berekenen, hoeveel behoedzaamheid er noodig is bij het lezen van den Euripides restitutus" [1]).

Wagenfeldi, G. Hermanni, Altenburgii exemplis ante prolatis [2]) eo adducitur, ut credat etiam Hartungium „Iphigeniam in Aulide" non serio scripsisse, sed summa ope enisum esse „om bij tijds uit den weg te ruimen wat hem beletten kon zijnen Euripides restitutus te leveren. Hij heeft daartoe een systema van uitmonstering gekozen, welks natuur hoog zwanger en blijvend vruchtbaar is, en door eene behendige *μαιεία* een onberekenbaar kroost van uitmonsteringetjes met groeikracht voortbrengen moet, en het criterium der poëzij van Euripides verduisteren. . . . Tegenover zulk eene critiek moet de omzigtige en zonder vooringenomenheid gewaagde *ἀθέτησις* den lust verliezen om iets van zich te laten vernemen" [3]).

---

1) l.l. p. 461 sq.

2) l.l. p. 454—456. In diario, cui nomen „de Gids", a. 1838 p. 344 eandem sententiam iam aperuerat de Hermanni ad Creuzerum epistulis, quibus agebatur de mythologia symbolica.

3) l.l. p. 461.

SECTIO II.

De editione Olympici et de Commentario in hanc et in reliquas Dionis Chrysostomi Orationes.

CAPUT I.

QUO SUMMATIM EXPONITUR, QUALEM OPERAM GEEL IN DIONIS CHRYSOSTOMI TEXTU EMENDANDO ET INTERPRETANDO CONSUMPSERIT.

§ 1. Hirzel Dionis dialogos non esse scripsit „de(n) Abdruck einer inneren oder äusseren Wirklichkeit, die notwendige formale Erscheinung zu einer mächtig mit der Phantasie dramatisch oder mit dem Denken dialektisch arbeitenden Seele; sie sind vielmehr Formen, die er sich aus der rhetorischen Vorratskammer zusammengesucht und dann mit einem nur gerade nicht widerstrebenden Inhalt erfüllt hat. Durch den erwachsenen Mann und Schriftsteller hindurch glauben wir noch den Schüler zu sehen, dem gewisse Aufgaben gestellt werden". [1]

Aliter iudicaverunt De Arnim [2], Schmid [3], Cobet [4], Kuiper [5]; laudaverunt eius indolem, artem, Graecitatem. Item Geel in

---

1) „Der Dialog" Vol. II. p. 114.
2) „Leben und Werke des Dio von Prusa" p. 282 sqq.
3) „Der Atticismus" Vol. I. p. 169, 178, 188, al.
4) In diario, cui nomen „Mnemosyne", a. 1877 p. 89.
5) „Het Hellenisme" p. 481.

Olympici praefatione, Bakio suo dedicata, hunc in modum Dionem descripsit: [1]) „fuit homo frugi, verecundus, religiosus: alienae pravitatis reprenhensor, in quo castigandi severitatem leniebat benevolentia. Ingenii satis, interdum acutus, semper recto iudicio. Dicendi genere utebatur copioso et flexibili, non ad rhetorum praecepta comparato putideque concinno, sed ex simplici ipsius depromto natura. Non veterum alicui addictus huius pannis inepte sententias vestiebat, sed omnes lectitabat, in primis Xenophontem, cuius veneres amplectebatur; itaque abhorrens ab austera constrictaque dictione, dulcem quidem orationem excoluit ac leniter lateque fluentem, distinctam etiam similitudinum exemplorumque vel gravitate vel lepore, sed languidae vitio loquacitatis non caruit, tantaque nonnumquam peccat verborum cumulatione et ambitu, ut lectores intempestive moretur, atque adeo incertis comprehensionis finibus se ipsum vix expediat".

Laudi igitur vituperationem admiscuit, unde iam statim conicere licet Geelium non sola admiratione abreptum, sed aliis quoque causis permotum plus viginti annos scriptis Dionis enucleandis impendisse [2]).

Quarum alteram ipse iam significavit in verbis supra allatis: „(Dio) omnes lectitabat, in primis Xenophontem". Praeter Xenophontem enim et Platonem Dio identidem affert Homerum, Hesiodum, Phocylidem, Tyrtaeum, Anacreontem, Pindarum, Aristophanem, Euripidem [3]).

Accedebat, quod promisso stare volebat. Iam a. 1820 in praefatione „Theocriti Carminum cum Veteribus Scholiis" scripserat: „impatienter tuli, me a Dione Chrysostomo avocari" (ut Theocriti editioni finem imponeret), „in cuius editione adornanda omne meum otium et tum collocarem et posthac, si Deus mihi vitam largiatur, sum collocaturus". Iterum a. 1825 in Bibliotheca Cri-

---

1) P. VIII., IX.

2) Qua in re memoria sunt digna quae Geel d. 5 m. Nov. a. 1841 Bakhuizenio suo scripsit (cf. diarii, cui nomen „de Gids", a. 1906 Vol. III. p. 425): „één redelijke conjectuur in Sophocles .... bevalt mij meer dan 25 in Dio".

3) Cf. Schmid l.l. vol. I. p. 154.

tica Nova laudans Bagueti disputationem in Dionis Chrysostomi Orationem VIII.: „meum, inquit, tale consilium est, ut Dionis textum corrigam, quantum eius per Codicum MSS., quos adhuc novi, nimis recentem conditionem, nostrumque ingenii modulum, fieri poterit" [1]). Quod Dionis edendi consilium a. 1827 nondum abiecerat. Legimus enim in Bibliotheca cr. nov. eius anni p. 414: „conferam ad Dion. Chrys."

Sed a. 1831 mutatum esse consilium profitetur. Hoc anno in Bibl. cr. nov. valde laudavit Emperii Observationes in Dionem Chrysostomum. „Meae quidem, inquit, occupationes mutataque ab aliquot annis vitae ratio impediunt quominus contractum editionis nomen dissolvam. Itaque invenisse mihi gratulor qui vadimonium sisteret L. Dindorfium meum. In hunc transferam tum mei laboris fructum, nisi eum „multa dies et multa litura" [2]) penitus absumserint, tum librum Meermannianum. Neque tamen difficile opus suscipiet Dindorfius sine melioribus subsidiis, Parisiis et Florentia arcessendis, quamquam haud satis profuturis, ut praevideo.... Spero autem fore ut in conquirendis edendi instrumentis meliore fortuna utatur Dindorfius quam ego, atque Emperium interea ad plura praestanda hortetur" [3]). Sed Dindorfium Geelii spem fefellisse [4]) apparet ex epistula, quam Geel a. 1839 lingua Franco-Gallica scripsit ad Hasium [5]), ubi p. 3 sq. legitur: „il faut (ad Dionem edendum) un homme, qui ait du loisir et qui veuille consacrer une bonne partie de sa vie à ce travail d'Hercule.... Convaincu, comme je l'étais, que Dion allait trou-

---

1) P. 256. Cf. etiam „Anecd. Hemsterh." p. 275.

2) Mendum quoddam in Dioneis obvium in literis ad Bakhuizenium d. 5 m. Nov. a. 1841 datis ita excusat: „Ik heb geen andere verontschuldiging dan mijn al te groot vertrouwen op excerpten en noten, vóór twintig jaren, ongeveer gemaakt". (Leguntur in diario, cui nomen „de Gids", a. 1906 vol. III. p. 425.)

3) P. 581.

4) In Tabulario Bibliothecae Leidensis viginti epistulae a L. Dindorfio ad Geelium datae asservantur, in quibus multa de Dioneis.

5) „Lettre à M. Hase sur le Discours de Dion Chrysostome, intitulé Éloge de la Chevelure", Lugd. Bat. apud Hazenberg a. 1839. Hasio Parisiis manuscriptos conservandi fuit cura.

ver l'éditeur qu'il lui faut, je me suis désisté, en faveur de M. L. Dindorf, qui m'honore de son amitié, du plan que j'avais conçu de publier tout le texte du rhéteur-philosophe de Pruse. J'avais mal calculé mes forces et le temps, que me laissent mes occupations officielles. M. Dindorf me permit de joindre mes remarques au commentaire qu'il se proposait de rédiger: la chose ne pressait pas: il fallait de premier abord rassembler des matériaux: M. Dindorf allait se mettre incessamment à la besogne, — lorsque des circonstances, dont j'ignore la nature, l'engagèrent à coopérer à la redaction de la nouvelle édition du Thesaurus Grec d'Éstienne.... Quant à moi je n'en verrai peut-être pas la fin, et M. Dindorf ne m' accusera pas d'inconstance, lors-qu'il apprendra que j'ai retravaillé mes notes sur Dion et que je les ai mises sous presse. Les neuf années d'Horace ont passé sur ce petit travail".

In eadem epistula Geel conatus est demonstrare Κόμης ἐγκώμιον non esse excerptum Synesii, sed fragmentum Dionis apud Synesium servatum. Suspicatur Dionem iuvenem vel fortasse exsulem exercitationis causa, ita ut Ciceronem [1]), prooemiorum copiam, iam antequam opus esset, praeparasse [2]). Fragmentum comparavit cum Dionis oratione LII. Sequuntur undecim animadversiones criticae, quibus materiam praebuerant variae lectiones ex duobus Synesii codicibus, quas Hase ad eum miserat [3]).

Quae Geel ante a. 1840 de Dioneis scripsit, iam attuli in Sectione I. p. 26. Occasione oblata non praetereunda videtur Geelii commentatio de Dionis Historia Getarum a. 1841 recitata, in qua coniecisse videtur Dionis Getica fuisse librum ethnographicum [4]).

---

1) Cf. Ep. ad Att. XVI. 6.

2) De Arnim a Geelii sententia valde differt; putat Ἐγκώμιον „Dios durchaus unwürdig". („Leben und Werke des Dio von Prusa" a. 1898 p. 154.)

3) De hac epistula F. W. S. iudicium dedit in diario, cui nomen „Gött. Gelehrte Anz.", d. 30 m. Maii a. 1840. Qui iudex cum Geelio fecit.

4) Cf. „Verslagen en Mededeelingen, uitgegeven door de vier klassen van het Koninklijk Nederlandsch Instituut" a. 1841 p. 191. De Dionis historia, quae

A. 1840 Lugduni Batavorum apud Luchtmans prodiit: „Dionis Chrysostomi Ὀλυμπικός ἢ περὶ τῆς πρώτης τοῦ θεοῦ ἐννοίας. Recensuit et explicuit, Commentarium de reliquis Dionis orationibus adiecit Jacobus Geelius".

Dedicavit opus amico suo Bakio, quocum in praefatione egit de indole et ingenio Dionis et de eius codicibus. Olympici textus et commentarius 123 paginas libri continent, annotationes in reliquas orationes p. 127—449, indices p. 450—460.

„De uitvoering", scripsit Bakhuizen van den Brink, „verdient lof en de correctie is der hand waardig, die haar ondernam, de hand van den geleerden, nauwkeurigen, genialen Cobet" [1]).

Orationes posteriores non tot explicationibus, annotationibus, coniecturis adornavit, quot priores [2]), sed ubique est idem vir doctissimus, ingeniosissimus, hilarissimus, qui cum ipsius scripta Dionis et aequalium eorumque, quos imitandos ille sibi proposuerat, sedulo lectitaverat, tum quidquid ante ipsum iam ab aliis de Dione erat prolatum, optime cognitum habebat. Opera eius pertinet tam ad artem criticam quam ad interpretationem; verba tradita defendit, oppugnat, emendat.

Optimo iure Geelii Olympicus laudatus est in diariis, quae inscribuntur: „Berlin. Liter. Zeitung" [3]), „de Gids" [4]), „Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft" [5]).

---

vocatur Getica, Geel d. 5 m. Nov. a. 1841 Bakhuizenio scripsit in epistula, quae edita est in diario, cui nomen „de Gids", a. 1906 vol. III. p. 427.

Huius commentationis mentionem feci p. 38.

1) Cf. diarium, cui nomen „de Gids", a. 1841 in parte, quae inscribitur „Boekbeoordeelingen", p. 624.

Paginae 359—368 non insunt in Geelii opere. Molestiora sunt nonnulla menda; sic p. 403 inter annotationes ad orationem LIII. legitur annotatio ad or. LII.; item annotatio ad p. 142d invenitur inter annotationes ad p. 144 (editionis Morellianae).

Indices non sunt pleni. Nonnulla vocabula Graeca et Latina minus recte scribuntur, qualia sunt: γίνεσθαι, ἐμπιπλάναι, οὐδαμῆ, εἰκῆ, τιμῆν; epistola, contemtus, in promtu, emtor. De Geelii Latinitate pauca in Epilogo disputaturus sum.

2) E. g. p. 428—432 egit de p. 601b—637c editionis Morellianae.

3) A. 1840 fasc. XXX.

4) Partis, cui nomen „Boekbeoordeelingen", a. 1841 p. 558—576, 609—625.

5) A. 1841 col. 337—372.

Bakhuizen van den Brink his verbis iudicium suum conclusit: „Het is een blijvend gedenkteeken, dat ons vaderland, het vaderland van Hemsterhuys en Valckenaer, al moge de oogst zijner uitstekende Literatoren niet talrijk zijn, echter mannen in zijnen schoot voedt, die de wetenschap der Oude Letterkunde gelijken tred doen houden met de schitterende vorderingen, welke Duitschland daarin maakt" [1].

Emper, qui ab Herwerdeno appellatur „een der schranderste en geleerdste Hellenisten der 19e eeuw" [2], hoc iudicium protulit: „so evident manche Emendationen, so überzeugend viele der gegebenen Erklärungen sind, so unvermeidlich waren einzelne Fehlgriffe, selbst bei der vertrautesten Bekanntschaft mit der Denkweise und Sprache des Dio, die der Hr. Verf. in hohem Grade sich zu eigen gemacht hat" [3]. Et in fine haec habet: „Wenn es irgend einem Gelehrten nicht um den traurigen Ruhm des Rechtbehaltens, sondern um die Auffindung der Wahrheit zu thun ist, so ist diess Hr. G." [4].

Secutum est Geelii ad Emperium responsum [5]. Cum autem R. Unger „Epistolam criticam" [6] contumeliosam Emperio et Geelio misisset, Emper viam suam et rationem defendit a. 1842 in eodem diario [7] et Geel paulo post [8] virum stomachantem urbane irridens [9] demonstravit non minus saepe Ungerum a textu recessisse.

---

1) l.l. p. 625. Quae Geel respondit Hamakera in eodem diario a. 1906 vol. III. p. 424—432 edidit.

2) Diarii, cui nomen „Museum", a. 1893 col. 429.

Idem valde amatus et laudatus est a Geelio, Bakhuizenio (cf. „Briefwisseling van Bakhuizen van den Brink", quam edidit S. Muller, p. 60, 61), Cobeto (cf. „Brieven van Cobet aan Geel" p. 536).

3) „Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft" a. 1841 col. 341.

4) l.l. col. 372.

5) Ut apparet ex diario allato a. 1842 col. 91 sq., ubi legitur epistula Emperii ad Geelium data.

6) Est in Programmate Friedlandensi a. 1841.

7) Col. 200—234.

8) Col. 400—408.

9) Velut col. 402: „fuga salutem, Emperi! ἀστράπτει, συγκυκᾷ τὴν Ἑλλάδα." Sed, ut fit, viro rustico non multum profuit, nam Unger diario misit commentationem longissimam (c. 1137—1206), in qua non minus inurbane saeviit.

Quoniam summatim exposui, qualem ipse Geel Dionis scriptis operam navaverit, duae iam restant quaestiones: altera est de postumis Dioneis, quae Emper a. 1844 reliquit, altera de Geelii παρέργοις.

Schneidewin a Geelio petiverat, ut Emperiani operis absolvendi et edendi munus susciperet; hic recusavit; petivit deinde a Bakhuizenio, qui et ipse negavit [1]. Denique Geel munus quodammodo suscepisse videtur, nam d. 17 m. Febr. a. 1845 Bakhuizenio suo scripsit: „dat zij mij de posthuma Dionea van den goeden Emperius op den hals schuiven, weet gij ook. Ik zit er mee, en het pak, een enorm pak papieren ligt reeds voor mij [2]. . . . Emperius heeft de grootste helft van Dio becommentarieerd, op de andere helft slaan 1000 en éen snippertjes, in pakjes verzameld. Hoe ik daarmee klaar kom, weet ik niet; maar ik heb ook nog niet besloten, dien Nachlass uittegeven, waarbij ik op nieuw zou moeten terugkeeren tot iets, waarvan ik hartelijk afscheid genomen had, beleefd (zooals gij weet) met den hoed in mijn twee handen. Maar de dood van E(mperius) heeft mij diep leed gedaan" [3]. Qua ratione adductus Schneidewino scripsit: „recipere sese absoluturum commentarios Emperianos effecturumque, nisi quid inexpectati accidat: vitae enim summam esse brevem" [4]. Hic nuntius per diaria percrebuit [5].

---

1) Vide „Briefwisseling van Bakhuizen van den Brink" p. 347. Geel autem Bakhuizenio iam d. 5 mens. Nov. a. 1841 (epistula edita est ab Hamakera in diario, cui nomen „de Gids", a. 1906 vol. III. p. 425) scripserat: „zoo Emperius het besterft, hebt gij mijn permissie, om de taak (Dionis edendi) op te nemen. Ik voorspel U echter, dat het U gaan zal als mij: gij zult geen andere voldoening gevoelen, dan dat gij iets reddert".

2) Kal. Febr. a. 1845 L. A. Berglein „nomine fratris bea. Emperii" schedas Geelio misit atque haec scripsit: „cavimus, ut quaecunque b. Emperius de Dione perscripta reliquit, et eodem quidem ordine quo ipse disposuit, nullo delectu habito tibi mitterentur. Quibus tibi uti licebit, quemadmodum Te inter et Schneidewinum convenit". (Literae asservantur in Tabulario Bibliothecae Leidensis.)

3) „Briefwisseling van Bakhuizen van den Brink" p. 100.

4) „Adolphi Emperii Opusc. philol. et hist." praef. p. VI. Cf. praeterea epistula a Schneidewino d. 2 m. April. a. 1846 ad Geelium data, quae asservatur in Tabulario Bibliothecae Leidensis.

5) Cf. „Göttinger Gel. Anz." m. Maii a. 1847; „Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft" m. Iun. a. 1847.

Aestate a. 1845 Bakhuizen van den Brink Vindobonae quosdam Dionis codices contulit et Bakio scripsit: „misschien zal (Prof. Geel) dit welkom zijn, als hij nog iets aan de nalatenschap van Dio denkt te doen" [1]); tamen ipse Geel id ab illo flagitasse non videtur [2]).

Ceterum schedae et schedulae Emperianae adhuc asservantur in Bibliotheca Leidensi; adhuc indigesta moles inspicienda est. Laborem immanem — nam mihi sane ne quarta quidem operis pars ab ipso auctore videtur absoluta esse — Geelio taedium movisse facile intellegimus. Maior 55 annos natus erat; uxor semper infirma et aegra valetudine requirebat eius curas. D. 18 m. Sept. a. 1845 Bakhuizenio scripsit: „Ik ben nu het laatste stadium van mijn werkzaam leven ingetreden: als ik nog een paar plannetjes, na mijne Phoenissae, afwerk, zal het wèl wezen" [3]).

Ita evenit: post a. 1846 rarissima tantum in lucem emisit. Mali anni ei advenerant.

§ 2. Pauca de Geelii in Olympicum παρέργοις addam. Ex multis unum exemplum afferre liceat, ut ostendam, quomodo ei unus Dioneus locus ad multa alia demonstranda interdum ansam praebuerit.

---

1) „Briefwisseling" p. 150.
2) Cf. „Briefwisseling" p. 199.
3) „Briefwisseling" p. 195. Confirmatur quod conieci epistulae cuiusdam imagine, quam in Tabulario Bibliothecae Leidensis nuper inspexi. C. F. Hermann d. 12 m. Aug. a. 1852 Geelio scripserat. Quibus literis acceptis Geel hanc responsi formam festinanter chartae illevit: „Schneidewinum meis verbis salutabis: was er mir zu verbergen hat, weiss der Himmel, mir ist es unbekannt; in meiner Gesinnung hat sich nichts geändert. Er zürnt vielleicht, darum dass ich mit der Au(s)gabe des Emperius'schen Commentars zum Dio zögere. Ach, er weiss nicht (dass ich) die (P)apiere des seligen Emperius genau untersucht habe, und kein Möglichkeit sehe ihm und mir selbst genu(g) zu thun. Es hat sich dabei viel in meiner ratio vivendi geändert, eine höchst glückliche Spät-Heirath seit neun Jahren, viel Biblioth.- und andre Geschäfte, und obendrein drei und sechzig auf den Rücken dringen mich in den engeren Kreis zurück: und wass ich thue ist desultorisch. Ich wünschte sehr dass Sch. den Dio übernehme, und mir darüber ein (P)aar Zeilen schicke".

Ad p. 554c [1]) cum Toupio (Em. in Suid. I. p. 258) pro ὡς ἱκανὸν ὄντα mavult ὡς εἰκόνα ὄντα; Reiskium vituperat, qui errore propter festinationem minime raro tamquam Toupii coniecturam commemoraverat: ὡσεὶ κανόνα. Hanc enim ob causam Emper (Observationum p. 57) oppugnaverat Toupianam, ut putabat, coniecturam et proposuerat ipse quoque: ὡς εἰκόνα ὄντα.

Deinde profectus ab iis, quae apud Dionem de Platonico illo exsilio Homeri leguntur, Stallbaumium, quia ad Reipublicae p. 398a iniuria annotaverat a Platone non Homerum, sed potius tragicos et comicos e civitate eici, revocavit ad p. 600c.

Tum reiecit Casauboni coniecturam εἰρωνικῶς pro εἰρηνικῶς, quam Stallbaum l. l. defenderat, nam εἰρηνικῶς hoc loco (apud Dionem p. 554c) idem esse atque οὐ βιαίως.

Postremo quaedam exposuit de ironia Platonica.

Persaepe Geel „non vidit, quamobrem occasionem nactus opem non ferret laboranti loco". Sic medelam adhibere conatus est diversissimis scriptoribus Graecis, inde ab Anacreonte usque ad Dionis imitatores [2]). Raro in scriptoribus Latinis operam suam posuit, velut de sex tantum Ciceronis locis egit [3]).

Optime in Sophoclis Oed. Col. vs. 1266 coniectura Hermanniana πάθη pro πύθη recepta ἥκειν mutavit in νικᾶν [4]).

Apud Dionysium Halic. p. 476 τίθεμαι emendavit ex πείθομαι.

Ut Galenum (Protr. p. 4 Will.) „immani mulierum calumnia" liberaret, probavit epitheton quod est σύμβολον ἀλογίας pro συμβόλῳ ἀνοίας.

Proverbia Geelio maxime cordi fuerunt: ad p. 293a Dio ei videtur sequi proverbium: ὥρα ἄνθος ἀκμῆς; de duobus pro-

---

1) Locos Dioneos ubique secundum editionem Morellianam afferam.

2) In indicibus eius 24 nomina scriptorum, „in quibus tentatur correctio", inveniuntur.

3) Pulchrae sunt emendationes eius in Brut. c. 29, ubi restituit „lectu" pro „acta" et in Verr. I. 13, 38 „nullo iudice nequiter iudicante" pro: „nullo iudice equite Romano iudicante".

4) Qua de coniectura Bakhuizenio scripsit: „als gij mij die .... ontneemt, krijg ik een geletterde beroerte". (Cf. diarii, cui nomen est „de Gids", a. 1906 vol. III. p. 425.)

verbiis egit ad p. 504c, ubi legitur: σχεδὸν οὖν παραπλήσιον πεπόνθασιν οἱ ἐμοὶ λόγοι τῷ κεράμῳ τῷ Τενεδίῳ, unde apparet Erasmum non recte finxisse proverbium de Tenedia tegula, nam constat e Dione „Tenediorum opus elegans fuisse, atque facile invenisse emtores, omnium autem fuisse fragilissimum". Neque rectius alterum proverbium obscurum ex verbis Dionis, quae sunt: „Λυδῷ, φασί, πράγματα οὐκ ἦν", ab eodem Erasmo loco Plutarcheo collato explicatum esse putat.

Denique inter πάρεργα, quae Dioneis suis Geel adiunxit, commemorandi sunt ambitus et digressiones, quae attinent ad sacra et religionem, mythologiam, antiquitates, historiam, ethnographiam, topographiam, historiam literariam, artes, mores.

Exempla, quae unaquaeque fere pagina praebet, afferri necesse non videtur.

§ 3. Emperianam Dionis editionem multum Geelio debere constat; Arnimianam, quae Emperiana quasi fundamento nititur, adhuc ex editione Emperii compluribus locis supplendam esse demonstraturus sum [1]).

Emper a. 1844 suam editionem Dionis Geelio dedicavit [2]);

1) L. Dindorf, de quo p. 68 sq. egi, prius in animo habuit Dionem in serie auctorum Parisina edere. A. 1841 iam per decem annos secum habuerat codicem Meermannianum, quem Geel ei commiserat. (Vide quae Geel Bakhuizenio d. 5 m. Nov. a. 1841 scripsit; quam epistulam Hamakera edidit in diario, cui nomen „de Gids", a. 1906 vol. III. p. 425.) Sed a. 1857 Dionem apud Teubnerum edidit. Hanc autem editionem levioris momenti esse contendunt De Arnim, Sonny, Schmid. De Arnim proll. p. IV. haec habet: „Dindorfianam editionem non multum profuisse inter omnes constat". Sonny („Ad Dionem Anal." p. 134) haec: „in editione Dindorfiana multa temere novata sunt, neque unquam quid in codicibus esset, curavit". Schmid (apud Pauly-Wissowa a. 1905 sub voce „Dio" col. 876): „L. Dindorf hat keine neue hsl. Studien gemacht und nur da und dort den Text in unhistorischer Weise zurechtgeschnitten".

2) „Dionis Chrysostomi Opera Graece e Recensione Adolphi Emperii", Brunvigae a. 1844.

D. 28 m. Mart. a. 1844 Bergk Geelio scripsit (literae asservantur in Tabulario Bibliothecae Leidensis): „existimo te hoc meis precibus et communi litterarum studio daturum esse, ut judicium feras de libro (Emperiano), de quo praeter Te jam nemo satis recte judicare potest". Geel autem, quod sciam, id non fecit.

expositis quae Dio Geelio iam deberet ita pergit: „quae vero habebas novae editionis egregia instrumenta, ea omnia liberalissime mihi concessisti, quem existimares Dionis editorem si non idoneum, industrium certe futurum esse. Nam L. Dindorfius, qui quondam novae recensionis spem fecerat, et Tuam et reliquorum Dionis studiosorum exspectationem nimium morabatur".

Postquam enim Emper „censuram et libri Geeliani et Programmatis Ungeriani conscripsi(t)" [1]), Geel ei misit suas collationes et suum codicem Meermannianum [2]). Sed plus fecit: a Cobeto, qui tunc peregrinabatur, petivit, ut Emperianae editionis causa codices Romanos Dionis evolveret et scripturae diversitatem enotaret. Quod hic libentissime fecit schedasque ut „partem θρεπτηρίων" Lugdunum Batavorum misit, unde Brunsvigam sunt transmissae [3]).

„Quae ante a. 1844" — ita rectissime Sonny [4]) — „ad Dionem emendandum collata sunt, tam diligenter congessit Emperius, ut paucissima tantum, quae alicuius essent momenti, omiserit" [5]).

De Arnim autem nostris temporibus suam editionem [6]) paravit varias ob causas: primum ob emendationes recentiores, deinde quod in Emperii editione pars collationum, quas Cobet eiusque amici fecerant, non in calce edita sed libro adiuncta est [7]), tertium quod pars tantum codicum unicuique orationi ab Emperio adhi-

---

1) Cf. Emperii praef. p. V.

2) Cf. Emperii praefatio variis locis, Sonnii „Ad Dionem Anal." p. 33. In Tabulario Bibliothecae Leidensis asservantur novem epistulae ab Emperio ad Geelium datae et septem, quibus Geel ei respondit.

3) Cf. „Brieven van Cobet aan Geel" p. 402, 405, 410, 411, 456. Emper l.l. p. 790 haec scripsit: „(subsidiorum) pars longe maxima ipsi debetur Cobeto; quaedam eius amicis Badhamio et Tischendorfio".

4) „Ad Dionem Anal." p. 134.

5) Cf. praeterea Arnimii praef. p. XXXIX. et Herwerdeni iudicium in diarii, cui nomen „Museum", vol. I. fasc. 12.

6) „Dionis Prusaensis, quem vocant Chrysostomum, quae exstant omnia edidit, apparatu critico instruxit J. de Arnim" (Berolini apud Weidmannos vol. I. a. 1893, vol. II. a. 1896). A. 1898 vol. III. editum est sub titulo: „Leben und Werke des Dio von Prusa".

7) Sero hae collationes advenerant (cf. Additament. Emperii p. 790).

bita est, tum quod Cobetum neglegenter contulisse putat Vaticanum 99 (V), Palatinum 117 (P), Urbinatem 124 (U) [1]), denique quod Emperium de codicum suorum affinitate non recte sensisse iudicat [2]).

Attamen ipse profitetur [3]) suam editionem niti „Emperii opera quasi fundamento, cui et codicum quorundam quos denuo consulere non potu(erit) collationes et virorum doctorum haud paucas debe(at) coniecturas, quorum ipsas dissertationes adire supersed(erit). Credidit [4]) „de illorum (i. e. virorum doctorum, qui ante editionem Emperianam emendando Dioni operam dederunt) coniecturis plerumque Emperii testimonio, quem insigni diligentia hanc provinciam administrasse (sibi) consta(ret)".

Sed Emperiana editione nondum carere possumus.

Quamquam enim Arnimii editio „eo maxime insignis est, quod codicibus nititur via ac ratione digestis atque perpensis magnaque ex parte.... ab ipso editore aut primum aut denuo diligenter collatis" et Dionis emendatio „haud parum provecta est: multis enim locis vel ἕλκη ἐσκιρρωμένα felici manu sanata, alibi medela incohata aut vulnera occulta saltem detecta (sunt)" [5]), tamen in ea multa omissa sunt, multique insunt errores. Quae haud raro Emperiana editione collata adduntur et corriguntur.

---

1) Cf. Arnimii proll. p. VII., VIII., XXII.; qua de re cum eo consentit Sonny l.l. p. 2, 26, praef. p. VI.

2) Emper Dionis codices divisit in duas familias: familiam VM—HP(C) praetulit familiae U; si discrepant HP(C) a VM, non codicum auctoritati, sed rationi cedendum esse putavit (cf. p. 829). De Arnim contra familiam HP(CY) praefert familiis VM et U; tantum si consentiunt VM et U contra HP, rationem sequendam putat (cf. proll. p. III. et XXXVII.). Sonny autem familiae U principem locum attribuit (cf. l.l. p. 62).

3) Proll. p. IV.

4) Proll. p. XXXIX.

5) Sonny l.l. p. 144. Schmid (apud Pauly-Wissowa a. 1905 vol. V. col. 876) haec exhibet: „Das beste leistet bis jetzt die Ausgabe von H. v. Arnim, in welcher nicht nur die Herstellung des Textes, sondern durch knappe und treffende Anmerkungen im kritischen Apparat und durch neu angefertigte gründliche und judiciöse Indices, auch die Erklärung des D. erheblich gefördert worden ist". Cf. praeterea Herwerdeni iudicium in diarii, cui nomen „Museum", vol. I. fasc. 12.

De Arnim in difficilioribus locis codicem M non denuo inspexit, etsi Dindorf, qui hunc codicem, ut supra vidimus, per decem annos domi habuerat, in praefatione nonnullas alias lectiones atque Emper tradidit [1]). Codices B et C, qui identidem ab U et P discrepant, partim tantum contulit [2]).

Sonny triginta iam Dionis codices contulerat [3]), cum De Arnim primum volumen edidit; hunc non recte iudicavisse putat de codice H, quem ipse melioris notae iudicat quam P, cum P ab Arnimio omnibus aliis praeponatur [4]). Idem multos locos attulit, ubi ab Arnimio lectiones non recte sunt notatae, eosque tales, qui ad codicum affinitatem maximi sint momenti [5]).

Sonny magnas confecit tabulas coniecturarum, quae ante a. 1844 vel post sunt factae, quibus De Arnim aut suum aut Wilamowitzii aut aliud nomen iniuria adscripsit. Revera Arnimii „festinatio plagularum corrigendarum" [6]) nimia fuit. Annotavi, quoties erret De Arnim in Geelii editione laudanda. Tredecim locos inveni — paene decimam partem omnium Geelii coniecturarum, quae ab Arnimio afferuntur [7]) —, ubi pro Geelii nomine

---

1) „Lituris rasurisque Claudii Naulotii ita est depravatus M, ut quid a prima manu fuerit, difficillime interdum eruatur" (Sonny l.l. p. 27). Etiam Hammer in diario, cui nomen „Bursians Jahresberichte", a. 1895 p. 135 improbavit, quod De Arnim M locis principalibus non inspexerat.

2) Cf. Sonny l.l. p. 38, 51, 52, 144. Decem paginis editionis Morellianae (p. 202—212a), quas contuli cum editionibus Geelii et Emperii, De Arnim 30 fere varias lectiones, praecipue e codicibus A, C, D, E, omisit.

3) Praef. p. V.

4) Sonny l.l. p. 54.

5) Sic p. 74a (ed. Morell.) de lectionibus, quae sunt *ἀγελάστος* (U), *ἀνίλαστος* (V), *ἀνήλατος* (MPC) nihil De Arnim annotavit. P. 100 d iniuria omisit lectionem codicis C (cf. huius Sectionis cap. IV.). P. 139a, ubi UB habent *θεσσαλίας*, VM *μεσσαδίας*, PC *μεσαδίας*, codex M, qui a manu correctoris praebet *θεσσαλίας*, ab Arnimio neglegitur (cf. huius Sectionis cap. IV.). Ad p. 205a De Arnim adscripsit UBM exhibere *οὐκέτι πολλὴν σύστασιν*, Sonny autem contendit (p. 74) U sine ullo dubio habere *πολλῆς* atque ita solum bonae lectionis vestigium servasse, quam Geel correxit verbis: *οὐκ ἐπιπολῆς συστᾶσαν* (cf. huius Sectionis cap. IV.). Arnimii indiligentiam passim notabo.

6) Cf. eiusdem proll. p. XXXX.

7) Sunt, si recte enumeravi, amplius 150; Cobeti fere 100 coniecturae apud Arnimium inveniuntur.

alterum, tres, ubi pro altero Geelii nomen scriptum legitur [1].

Significavit [2]) De Arnim se praeter Emperii editionem semper Casauboni diatribam, Valesii emendationes, Geelii Olympicum ad manum habuisse, sed constat opera eorum non semper ei ante oculos fuisse. Nam si ad p. 83a (cf. diarii, cui nomen „Museum", vol. I. c. 432). Geelii Olympicum inspexisset, scivisset Dionem Platonis Leges spectare neque annotasset: „quem spectet, ignoro". Si Geelii opus inspexisset, pluribus locis Dionis fontes annotavisset [3]).

Denique De Arnim textum interdum depravavit; velut inter p. 201 et p. 210, quas in Geelii, Emperii, Arnimii editionibus contuli, certe ter contra codicum auctoritatem nulla ratione in calce reddita textum mutavit [4]).

Nihil restat nisi ut ad Arnimianam editionem applicent viri docti Emperianam, de qua Geel tam bene est meritus.

---

1) Uno loco (p. 502d ὅτῳ ἄν sine καί) De Arnim pro Geelio Emperium affert; p. 103b ante Cobetum Geel τοὺς πύργους eiecit;

Van Herwerden duobus locis idem fecit atque Geel (p. 63c βεβαία pro ῥᾳδία coniecit; p. 145b δέ interposuit verbis ἄλλοι διώκοντες);

p. 165d ad συνακολουθήσειν pro συνακολουθῆσαι ab Arnimio iniuria Hertleinii nomen affertur: Geel enim iam ante idem coniecerat;

quattuor locis Wilamowitzio coniecturae Geelianae attributae sunt: p. 28b καὶ ταῦτα pro ἐν Ἰθάκῃ; p. 208a ἤ καί pro τὲ καί; p. 208d ἀναλώματος pro ἀνάλωμα; p. 390c antea Geel καὶ δημοσίᾳ, sed una cum sequenti γίγνεται, eiecerat;

item quattuor coniecturas Geelianas sibi assumpsit: p. 355d καὶ πόσῳ — ἐκχαράττετε Geel iam eiecerat; p. 360b ἐστί idem iam induxerat; p. 392c οὐχ Geel iam transposuerat; p. 457d συνᾴδοντα est coniectura Geeliana.

Aliis locis (e. g. p. 189b, 255c, 276a, 294c, 308b, 327d) iniuria mihi videntur Geelii coniecturae esse neglectae.

Sed p. 35d ante Geelium Wyttenbach coniecit Ἰθάνθυρσον, p. 390c ante Geelium Reiske εὕροι emendavit, p. 424d ἀποστῆναι est inventum a Wyttenbachio; quas coniecturas De Arnim iniuria Geelio attribuit.

2) Proll. p. XXXIX.

3) Cf. huius Sectionis cap. III. § 1.

4) P. 201a φιλοσόφου pro φιλοσόφῳ; 202b ὥσπερ pro ὥστε; 209c ὑπερφυᾶ pro ὑπερφυῆ.

CAPUT II.

QUID DE CODICIBUS GEEL IUDICAVERIT QUOQUE MODO EORUM SUBSIDIIS SIT USUS.

§ 1. Strenue operam dedit Geel, ut variorum Dionis codicum lectiones quam diligentissime cognosceret. Primum usus est editionibus Veneta et Morelliana, in quibus nonnullorum codicum lectiones annotatae sunt. In fine Venetae, „quae Codicis scripti et vitia habet et auctoritatem" [1]), variae lectiones „videntur esse e libro eiusdem ordinis, cuius est Meermannianus" [1]). Geel [1]) et item Emper [2]) nos docent in Morelliana editione [3]) vel inter Stephani et Morelli annotationes inveniri lectiones codicum A, C, M.

Orationem XII., Olympicum, Geel contulit [4]) cum codicibus Parisinis A, B, C (quos conferendos curaverant Boissonade et Hase), cum Romano codice U (quem in Geelii usum Boot contulerat), cum suo codice M, Meermanniano; praeterea in codicibus Laurentianis D et E ut inspiceret viginti quinque locos affectos vel suspectos a Furia petivit.

„Reliquis Dionis orationibus expoliendis (ei) inservierunt" [5]) codices M [6]) et C [7]); in Tarsica priore duae praeterea collationes, quarum altera ex Parisinis A et B ab eodem erat excerpta, qui

1) Geelii praef. p. XX.

2) Emperii praef. p. XVIII. et XIX.

3) Cuius titulus hic est: „Dionis Chrysostom Oratt. LXXX, cum vetustis Codd. MSS. Regiae Biblioth. sedulo collatae eorumque ope innumeris mendis liberatae, restitutae, auctae, Photii excerptis Synesiique censura illustratae. Ex interpretatione Thomae Naogeorgi accurate recognita et recentata et emendata Fed. Morelli Prof. Reg. opera. Cum Is. Casauboni Diatriba et eiusdem Morelli Scholiis, Animadversionibus et Coniectaneis. Accessit rerum et verborum Index locupletissimus. Lutetiae 1604".

4) Cf. eius praef. p. XIX.

5) Cf. p. XX.—XXII.

6) Cf. de codicis Meermanniani historia Geelii praef. p. XX.; Emperii praef. p. X. sq.; Sonnii „Ad Dionem Anal." p. 26 sq.

7) Codex C a Gildemeistero totus Parisiis est collatus. „Allatum est, iucundissimum donum, quum Oratio graeca Dionis partim typis descripta esset". (Geelii praef. p. XXI.)

orationem XII. contulerat, altera ex Urbinate ei dono data erat a Niebuhrio; denique varietas lectionum ab Hemsterhusio in margine editionis Morellianae „ex pagellis septem membranae veteris" adscripta ad p. 567a—589c et ad p. 632—638c.

„Haec subsidia, inquit Geel, quoniam Commentarium perpetuum scribere non constitueram, tantum ubi lubebat, sed fideliter adhibui" [1]).

§ 2. Ex Dionis codicibus id temporis sibi notis optimos, quamquam recentissimos [2]), iudicavit codices C [3]) et M [4]), „ita similes, ut congruant origine, discrepent erroribus". Meliores codices a Cobeto demum inventi sunt: H, P, V [5]).

Codices C et M autem „non ita secutus (est), quin subinde e reliquis sumere(t), quod aptius esset: in quo denuo expertus (est), fieri posse ut in pessimo libro aliquid bonae lectionis quo lapsu traditionis [6]) propagetur" [7]). Recte iudicavit non satis esse „si inspexeris, qui (codex) ceteris aetate prior sit vel e vetustissimo videatur fluxisse" [7]).

Libros manuscriptos divisit in meliores et deteriores, sed quomodo ille, qui excepto codice M ipse optimos codices P, U, V non novisset, affinitatem et genealogiam constitueret? Viri docti enim adhuc dissentiunt: De Arnim [8]) familiam P (H V C), Sonny [9]) contra et Schmid [10]) familiam U ab archetypo propius abesse credunt.

1) Praef. p. XXII.

2) Praef. p. XIV. sq.

3) „Huic codici, cum primum omnium tertiae classis librorum innotuisset, plurimum tribuebatur a Geelio Emperioque" (Sonny l.l. p. 32).

4) „Plurimum huic libro debetur, nam a communi meliorum librorum fonte propius abest, quam praeter codicem Palatinum 117 et V ullus alius" (Emperii praef. p. XI.) De Arnim Proll. p. V. et alia et haec de codice M scripsit: „neque enim ex ullo ceterorum codicum potest descriptus esse, sed per exemplarium vices, quae aetatem non tulerunt, ex ipso archetypo derivatus est".

5) Cf. Emperii p. IX, X, 791 et „Brieven van Cobet aan Geel" p. 399, 402, 410.

6) Non supervacaneum erat addere: vel quadam correctione.

7) Praef. p. XV.

8) Proll. p. XXXIII., XXXVII., passim.

9) l.l. p. 1, passim.

10) Apud Pauly-Wissowa vol. V. col. 875.

Affinitatem vero codicum definire nec suum nec magni momenti putavit Geel. Audi ipsum cum Bakio loquentem [1]: „Exspectasne ut dicam de genealogia quadam meorum codicum, et fluctus excitem in simpulo? Nec omnes Dionis codices consulere potui, nec paucos illos ad omnia huius scripta conferre, ideoque ne tentavi quidem, quod nequicquam me suscepturum esse sciebam. Et quam satis certam scientiam istius consequetur propagationis, qui non lustraverit Bibliothecas, nec suis ipsius oculis inquisiverit ductus literarum, errores, omissa exesorum verborum spatia, omnino librarios ipsos cognoverit? quo labore exhausto repertoque vèl ipso archetypo, quem vocant, vèl huius tenui quadam imagine adumbrata ex reliquorum indiciis, sit licet legitimum, quod editur, factaque progressio ad veritatem, tamen verum esse non magis credes, quam, si Homeri formam Aristarcheam assequi integram possis, iis seculis, quae fuerunt ante aetatem Alexandrinam, nihil passa divina carmina existimabis. Non eo hoc dico, Baki, ut stemmata codicum et nobiles abavos rideam, vel detraham de laude industriae, quae in accuratissima exploratione consumatur; sed eos mirari soleo, qui hoc labore satis factum putant, non dico editoris officio, — qui vel angustissimis, si libuerit, finibus se tuebitur, isque meritam laudem obtinebit, si propaganda verba scriptoris, vera an mentita, ab opinionis arbitrio vindicaverit ac perpetua muniverit traditorum auctoritate, — sed rationis et iudicii legibus. Veterem hanc scio esse controversiam, ac semper futuros auguror èt qui taedii impatientes coniiciendo mederi se depravatissimis sperent, aut cum laboris constantia coniungant incredibilem traditorum contemtum, èt qui, nihil divinare quum possint, ipsam divinationem despiciant".

Vel meliorum librorum lectionibus — librariorum nimirum ob culpam [2]) — non raro ita diffidit, ut abstinere a coniectura nolit, quamvis postea probabilem lectionem e meliore codice acceperit.

---

1) Praef. p. XII. sq.

2) Quos accusat, quod hiatum sustulerint (ad p. 195b, passim), quod casus mutaverint (ad p. 210d, alias), quod verba aliqua mutaverint aut induxerint (ad p. 5c, 126a, 453a, 514d, alias).

Unum exemplum afferam: p. 125b in verbis obscuris, quae sunt: οὐκ ὤκνησαν τούτῳ ξυνακολουθήσαντες, καὶ ἑλόντες τὸ ἐμπεσόν, ὕστερον mutaverat ὕστερον in ὑστερεῖν. Postea apparuit in codice C post ὕστερον legi ἐπ' ἐκεῖνο (sc. primum vestigium) μετῆλθον [1]), sed non delevit [2]) suam „ariolationem, quoniam tamen illius supplementi rationem confirmabat. Alios licet talis propriae divinationis exitus absterreat; me nescio quomodo solatur cogitatio iudicando et ratiocinando partem certe veri posse indagari".

In praefatione iam significaverat ex suis coniecturis, cum varietas lectionum codicis C ei allata esset, tamen „nescio taedione delendi an inventi gloriola" [3]) unam et alteram esse relictam. Quin saepe ante codicis lectiones coniecturas virorum doctorum eum afferre videmus (e. g. ad p. 107d, 187d, 188a, 489c), quod non honoris causa eum fecisse constat, quia in suis coniecturis idem passim fecit (ad p. 76a, 142b, 147a, 467c, alios locos) [4]).

§ 3. Quamquam paucorum tantum codicum varietatem habebat, tamen aggrediendum esse opus et incipi iam posse arbitratus est. „Quis scit, inquit [5]), an in abdito monasterii angulo optimus liber lateat? Exspectandumne donec repertus sit? At si numquam reperitur, tamen exspectandum? Si prodierit denique optimus ille, verusne habebitur an legitimus? Ego sic existimo: si flumen

---

1) Quae verba etiam codices P Y exhibent, quam ob rem miramur Arnimium haec verba non accepisse, sed lacunam statuisse; quin etiam Geelii simplici coniecturae praetulisse Jacobsianam, quae est: ὕστερον ἐπὶ τὸ πρῶτον ἴχνος ἐπανελθεῖν.

2) Varietas enim lectionum codicis C a Gildemeistero descripta ei allata erat, „quum Oratio graeca Dionis partim typis descripta esset" (praef. p. XXI.).

3) P. XXI.

4) Interdum coniecturam pro codicis lectione designavit: e. g. p. 186d annotat Scaligerum correxisse τοι σοφῷ in τοῖς Ὥρῳ vel τοῖς Ὥρῳ, omittit vero lectionem codicis M, quae est τοῖς ὅρῳ. Idem ad p. 469c fecit, ubi et lectio codicis M et Reiskiana emendatio est: τοῦ τά. Quin ipse p. 191a „invenit" εἴπῃ et p. 304c χρεών, quae tamen sunt lectiones codicis M. Sed inter a. 1831 et a. 1841 codex M apud Dindorfium fuit. Habebat nihil nisi collationem huius codicis „ten deele door een anderen, langen tijd geleden, gemaakt" („De Gids" a. 1906 Vol. III. p. 425).

5) Praef. p. XIII., XIV.

traiiciendum sit, stultos esse qui aquam ingrediantur, quum siccis possint pedibus transmittere; ubi vero nec vadum sit, nec pons, nec materies e qua fit, nec constet unde navigium petatur, natandum esse iis, qui didicerint. Ceteri in ripa aut pontem exspectent, aut d u m d e f l u a t a m n i s, sine morae solatio, nisi si quem imperite brachia moventem submergi procul a terra videant, beatique incolumitate sua traiiciendum non esse clament, ac domum se recipiant". Paulo post hoc profert iudicium: „Septem illorum, quos dixi, codicum ope Dionem sic edi posse, ut minus quam antea lectores offendat".

Et quidem orationem XII. „tam rerum gravitate quam ornatu verborum et compositionis artificio praestantem" [1]) edere potissimum decrevit, „ut constaret aliquando, quantum illae copiae afferant adiumenti ad revocandum nitorem scriptoris, qui squalidissimis exemplis circumfertur" [1]).

Summam laudem Bakhuizen [2]) et Emper [3]) attribuerunt viae et rationi, quam Geel secutus est in oratione XII. primum edenda et reliquarum Dionis orationum editione praeparanda.

Iudicii, quod Bakhuizen in diario, cui nomen „de Gids", fecit, dimidiae parti quam maxime assentior; est autem hoc [4]): „het (is) vooral die tekst (sc. Olympici), welke ons te meer doet bejammeren, dat Prof. Geel de overige redevoeringen kariger dan deze twaalfde behandeld heeft. Ons verlangen naar eenen leesbaren tekst, uit vergelijking der princeps editio en der aanwezige Codices nauwkeurig samengesteld, met aanwijzing der varianten en met sobere opname der beste en zekerste gissingen, ware dan vervuld geworden". Hoc enim et ipse contenderim, Geelium orationis XII. textum quam optime ad fidem codicum edidisse. Contuli p. 202—212a in editionibus Geelii, Emperii, Arnimii; si recte numeravi, his paginis tantum 9 ex suis coniecturis in textum

1) Praef. p. XI.
2) In diario, cui nomen est „de Gids", in parte „Boekbeoordeelingen" p. 564—566.
3) Emperii praef. p. XXII., passim.
4) l.l. p. 564.

recepit, e quibus 7 in calce, unam in commentario memoravit, unam (p. 202b, ubi δή in δέ mutavit) non designavit. De Arnim isdem paginis duodecim certe coniecturas suas in textum recepit.

Quod autem attinet ad „apparatum criticum" a Bakhuizenii iudicio dissentio. Isdem decem paginis praeterquam quod 50 fere discrimina minoris momenti neglecta sunt (quae pertinent ad augmentum, spiritum, iota subscriptum, iotacismum, hiatum, talia), certe 46 locis lectiones sui codicis M aut vitiose attulit aut omnino omisit [1]. Emper enim quique eum secutus est De Arnim 22 locis alias lectiones e codice M attulerunt ac Geelii collatio — „ten deele door een anderen, lang geleden, gemaakt" [2] — protulerat. In tabula, quam sum additurus, prius notabo lectiones secundum Geelium, deinde secundum Emperium.

	Secundum Geelium:	Secundum Emperium:
P. 202a	καρπῶν δε	καρπῶν τε
202c	αἰσθανομένοις	αἰσθανόμενοι
203c	αἴσθησιν ἔδει μηδέ	αἴσθησιν μηδέ
203c	ὁποσοῦν	ὅπως
203d	ἀναργής	ἐναργής
204a	γινόμενοι	γενόμενοι
204a	ὑποφρονοῦσι	ὑπερφρονοῦσι
204d	ὁρμώση	ὁρμῆς ἤ
205c	ταῖς τε ἐννοίαις	ταῖς ἐννοίαις
206a	ἀνέκτιτον	ἀνέκτιστον
206c	λόγον	λόγων
206d	καταλίπη	καταλιπεῖν
207a	ὑπονοίας	μετανοίας
208d	ὡς μὲν ἡδύ	ὡς μὲν οὖν ἡδύ
209b	στάς	τάς
209b	νηπενθές τ'	νηπενθές
210b	ὑστέρων	ὕστερον

1) De Arnim his paginis 30 fere varias lectiones omisit, praecipue e codicibus A, D, E, quorum lectiones codici U concedere putat, et e libro C, quem ex codice P descriptum esse arbitratur.

2) Cf. diarii, cui nomen „De Gids", a. 1906 vol. III. p. 425.

Secundum Geelium:		Secundum Emperium:
210b	πρὸς δή	πρὸς δέ
210c	πεζῶν	πεζοῦ
210d	ἡμετέρας	ὑμετέρας
212a	ἀπεσπαμένοι	ἀπεσπασμένοι [1]
212a	ὥστε σὺ πολλοί	ὥστε καὶ πολλοί.

Sequuntur 24 loci, ubi Geel consulto fortasse, quod lectiones pravas iudicabat, M neglexit:

P. 202c secundum Emperium M non πρὸς δ', quod reliqui codices habent, sed πρός exhibet;
203b M ἄνυστον (proparoxytonon) habere videtur,
203d ἀλλὰ ψυχά, non ἀλλὰ ἄψυχα,
203d ἄλλη που, non ἀλλ' ἤπου,
204b ἧς, non ἀλλ' οὖν γε τῆς, [2]
205a ἀέναον, non ἀέννaον [2];
205d in M a manu priore ὂν omissum est;
206b M verbis οὐδὲν προειπόντος interposuit δὲ;
206b M habet ἀπαύτοις, non ἀπλύτοις;
206b καὶ omittitur in codice M ante ποδῶν;
206b M legit ἀπ' αὐτῶν, non ἀπλύτων,
206d ὀλίγων, non ὀλίγον;
207c M omittit καὶ in verbis, quae sunt ἕψεας καὶ ἐξηγούμενοι;
207d pro Φυομένης est in M Φυομένην;
207d M in margine habet δημιουργῷ pro δημιουργικῆς;
208a in M omittitur οὖν,
208b item a manu priore τοιγαροῦν;
208d M exhibet ἀναλώμασιν, non ἀναλώσασιν;
209a M caret ἄγειν;
209b κακόν, non κακῶν, est in codice M,
209c ἐπέστην, non ἔπεστιν,
210a ξυλλέξας, non ξυνέλεξας.

---

1) Quam lectionem Geel tamquam Reiskii emendationem attulit!
2) De Arnim in textu habet lectionem codicis M; Geel et Emper alteram.

212a ἥμερον, non ἵμερον;

212a ut codex U etiam M θεοῖς, non θεούς habet.

His discrepantiis ex oratione XII., cuius apparatum criticum Geel curavit, enumeratis apparet sine dubio editori minime profuisse, quod librum ad edendum necessarium viro tardo commodaverat.

.Neque opus est demonstrare in reliquis orationibus, quibus Geel apparatum criticum non paravit, saepe nos ignorare „wat de heer Geel denkt (en) wat zijne Codices opleveren" [1]).

CAPUT III.

QUA VIA AC RATIONE GEEL DIONIS TEXTUM INTERPRETATUS SIT ET VINDICAVERIT.

§ 1. Cobet quondam contenderat: „passim nugas agere Interpretem, nisi interpretationem emendata lectio praecedat" [2]). Quam in sententiam Woltjer optimo iure haec animadvertit: „De overlevering komt tot ons en wil door ons verstaan worden. Wanneer we daarnaar streven, blijkt het dat er hier en daar fouten zijn, die eerst verbeterd moeten worden, zoo we tot het volle verstaan zullen komen" [3]).

Eundem in modum Geel iudicabat: apud eum quoque interpretatio emendationem, ut facile intellegitur, praecedebat. Ad interpretationem magna pars operis eius pertinet. Demonstrare vix opus est eum explicasse quod difficile intellectu putaret, intricatiora evolvisse aut Belgice vertisse, instituta et facta obscuriora aliis locis ex literis antiquis allatis dilucidasse. Si enim Geelii librum inspicias, exempla ubique adsunt.

1) Cf. diarii, quod inscribitur „De Gids", l.l. p. 564.
2) „Var. Lect." ² p. XI.
3) „Overlevering en Kritiek" p. 35.

Rogo, ut perpauca mihi exempla merae, ut ita dicam, interpretationis concedas, antequam pergam ad illam interpretationem, quae ad textum tantum defendendum pertinet.

P. 58a τὰ καλά ex aliis locis Geel demonstravit significare „artes liberales, quaeque gymnasticam attingunt".

P. 307c de ἀσφαλῶς κεκραμένῳ scripsit: „ut σφάλλεσθαι usurpatur de ebriis, sic ἀσφαλῶς est: ita mixtum, ut ne potantes inebriet".

P. 359d vocabulum, quod est ποππυσμός, hoc modo interpretatus est: „vel modestum est approbationis signum, vel σίττα, sibilus, quo oriens rumor comprimitur".

P. 395c συνείρειν „usurpari de omni continuata oratione, in loquacitate proprie poni" aliis locis collatis demonstravit, ut simul litem componeret, quam habuerat in Bibl. cr. nova [1]) cum Fritzschio, qui contenderat: „nusquam verbo συνείρειν loquacitatis vim inesse".

P. 439a de verbis „ὑπὸ τὸ ἱμάτιον τὴν χεῖρα ὑποστείλας" haec observat: „signum erat κοσμιότητος, quem morem illustrarunt Casaub. ad Diog. Laërt. IV. 16 aliique".

P. 588d: quod Sardanapalus ἀναβάδην sedisse dicitur ita interpretatur: „pedibus scamno impositis, flexisque genubus, quo gremium faceret, ut mulieres".

Quid autem Geel iudicavit de Dionis fontibus atque exemplis? Quid de eius orationum consiliis et propositis? Quid docuit de Dionis scribendi genere?

Iam in commentatione de Apologia Socratis et postremo capite Memorabilium [2]) Geel contenderat Dionem studiosissimum fuisse Xenophontis: „neque alios, inquit, fugerunt imitationis vestigia: laudabile studium, si quo tendat" [3]). In Olympico permultis locis

---

1) Vol. III. p. 414. Cf. Sectionis I. p. 12, 53.

2) Cf. Sectionis I. p. 29.

3) P. 23. Schmid („Der Atticismus" vol. I. p. 141) scripsit Dionem verborum copiam mutuatum esse „weitaus das meiste aus der Sprache des Plato und Xenophon".

Dionis fontes indicavit. Qua in re, „quae ad singulos locos recte intelligendos magnopere pertinet" [1]), De Arnim cum magno libri sui incommodo Geelii opus fere neglexit: vel obiter percurrens annotationes usque ad p. 50 editionis Morellianae quattuor locos inveni, ubi Geel, non De Arnim, Dionis fontes designavit (p. 7c ad *ὁπόσους· γάρ*, p. 35d ad *ἐὰν δὲ τὸ τῆς εἱμαρμένης*, p. 36b ad *πυθομένου τινος*, p. 49c ad *ἀπιὼν ὁδόν*) [2]).

Quamquam perpetuum commentarium nisi in orationem XII. non scripsit, disputavit tamen de nonnullarum orationum consiliis et propositis. Orationes XXXVII., LXI., LXIII., LXIV., LXXIV. [3]) cur Dioneas non putaverit, postea sum quaesiturus. III. et VIII. neglegenter esse scriptas putat, quibus secundae certe Dionis curae defuerint [4]). VI. ab eo appellatur „oratio iuvenilis ac sententiis sophisticis referta; insunt multa comparanda cum Maximo Tyrio XXXVI. c. 5 sqq." [5]). XIX. et LIII. summatim tantum a Dione esse expositas Haasio scripsit [6]). De oratione XXIV. haec habet [7]): „in brevi hac nec insulsa disputatione plerosque ait (Dio) homines nihil cogitare, quare quid agant, quum alius in alio se exerceat, nonnulli eloquentiae studeant". Orationem XXX. Reiske pro epistula habuit, Geel pro dialogo [8]). XLIII. nil nisi exordium esse orationis, quam Dionem „non absolvisse, nedum pronuntiasse" suspicatus est [9]). Consilium Dionis in oratione LI. hoc fuisse putat, ut discipulum Diodorum civibus commendaret, quo iudicio Geel discrepat a Seldenio et Reiskio [10]).

---

1) Sonny l.l. p. 134.

2) „Nonnullos (fontes) enotavit de Arnim, plures omisit iam ab aliis indicatos" (Sonny l.l. p. 134). Idem scripsit (p. 134) ne in Schmidii quidem libro, cui titulus est „Der Atticismus", multa inveniri, quae ad hanc quaestionem pertinerent.

3) Utor numeris, qui antiquitus orationibus adscripti erant. De Arnim secutus est Photium.

4) Cf. Geelii annotationes ad p. 37a, 46a, 135a.

5) Cf. annotatio ad p. 87c.

6) „Lettre à M. Hase" p. 22.

7) Cf. annot. ad p. 280b.

8) Cf. annot. ad p. 298b.

9) Cf. ad p. 508b. Attulit Photii verba.

10) Cf. ad p. 545.

Oratio LXXVI. ei non valde placuit; scripsit enim: „quidvis pro quovis ponitur in huiusmodi chriis" [1]).

Restat quaestio de Dionis genere scribendi, qua de re Sonny haec rectissime admonuit [2]): „qui conscripserit totum Dionis genus dicendi, melius eum de Dione meriturum esse credo, quam si conjecturarum centurias effuderit". „Totum Dionis genus scribendi" Geel non conscripsit, sed multis locis annotationes ea de re inseruit.

E quibus quae memoratu dignissima mihi videntur, coniungam cum nonnullis aliis locis, quos Geel meliore, quam alii dederant, interpretatione a coniecturis tutatus est [3]). In eadem paragrapho deinde nonnullos locos proferam, quos ab aliorum coniecturis vindicavit ut errores vel menda Dionis, non librariorum. Quos denique sequentur loci, ubi lectiones codicum et editionis Morellianae ex aliis codicibus emendavit, quod non minus interpretatoris esse puto.

§ 2 A. Exempla daturus eorum locorum, quos Geel nixus praeceptis stili Dionei [4]) tutatus sit, nonnullos iis adiungam locos, quos ex praeceptis universae grammaticae Graecae defendit. Facile est ad intellegendum tales fines non semper rite distingui posse, sed si Geel ipse monet locum quendam propter Dionis usum dicendi pro integro esse habendum, id commemorabo

Ad p. 5c monuit *οὐ μόνον — ἀλλά* maiorem vim habere quam *οὐ μόνον — ἀλλὰ καί*, quam ob rem non laudavit Reiskium [5]), qui

1) Cf. annot. ad p. 649c.

2) l.l. p. 134. De Schmidii hac in re tumultuaria opera ita iudicat: „Schmid incohavit magis rem quam absolvit.... Accedit, quod quae ante ipsum ab aliis observata atque collecta erant, inprimis a Wyttenbachio, Geelio, Bagueto adhibere noluit, non sine magno operis sui detrimento".

3) Vehementer assentior his verbis Sonnii (l.l. p. 133): „integros locos certis argumentis a temeris conatibus vindicare haud inutilius duco quam corruptos dubiis, ut fere fit pro rei natura, tentare coniecturis".

4) Alia afferam in capite IV. huius Sectionis, ubi agam de Geelii coniecturis et emendationibus.

5) Editionem Dionis a. 1784 curavit quae Reiskii fuerat uxor. Geel, Bakhuizen, Emper, De Arnim, Sonny certatim vituperaverunt Reiskii operam tumultuariam atque festinationem.

hoc loco et alibi (13a, 231a, 275b, 526b) καί addidit. Iniuria etiam De Arnim p. 346b καί inseruit ante verba, quae sunt παρὰ Μένανδρον, quamquam optimi codices U et M καί non exhibent.

Ad p. 9b: „Amat, inquit, Dio genitivorum collocationem, qualis est τῶν ὅλων τῆς διοικήσεως: vid. p. 36c, 69a, 86d, 119b ac saepius". Eadem de re egit ad p. 378d: ἥ τε μουσικὴ θεραπείας ἕνεκα τῶν ἀνθρώπων εὑρῆσθαι δοκεῖ τῶν παθῶν, καὶ μάλιστα δή . . . , quibus in verbis dixit Seldenium et Reiskium iniuria mutasse τῶν ἀνθρώπων in τοῖς ἀνθρώποις, quod multis annis post tertius praebuit De Arnim.

Ad p. 15c Reiske tentaverat ὁ δὲ ἐγγὺς οὗτος — οὗτος δέ „non memor consuetudinis Dioneae. . . .: vindicanda sunt tum per ἐπανάληψιν, tum observata satis frequenti repetitione pronominis". Geel affert p. 40a, 63a, 64d, 67d, 71d, 181b.

P. 37c: ὅτῳ δὲ παμπληθεῖς ὑπακούουσι πόλεις, πάμπολλα δὲ ἔθνη κυβερνᾶται διὰ τῆς ἐκείνου γνώμης a Geelio ad p. 479a defenduntur his verbis: „notus est usus pronominis relativi, sequente personali". Sed De Arnim ratus ἐκείνου additum esse propter ὅταν, quod pro ὅτῳ (U B) est in V P Y, seclusit ἐκείνου et mutavit ὅταν δέ in ὅτου δ' ἄν. Ad p. 479a: οἷς (sc. παιδίοις) πολλάκις ἀντὶ τῶν μεγίστων προτείνεται τὰ μικρότατα, κἀκεῖνα διὰ τὴν ἄγνοιαν — χαίρει τῷ μηδενί invito Geelio Reiske ante κἀκεῖνα voluit καὶ ὡς; De Arnim autem interpunxit post μικρότατα.

Ad p. 120a Reiskii festinantis causa docuit Geel ἤ etiam apud Dionem multis locis significare „nisi".

P. 124d in verbis, quae sunt σὺ μάτην ἄλλως eandem „abundantiam sermonis" inesse putat atque apud Euripidem (Hec. vs. 484), quamquam vocabula ibi sunt discreta. Alterum exemplum „abundantiae sermonis" affert ad p. 221b περὶ — ἀπαιδίας, εἴ τῳ μὴ γένοιντο παῖδες, ubi Dionem de Platonicis (παιδοποιίας τε πέρι, πῶς παιδοποιήσονται: Pol. V. p. 450d) cogitasse putat. Emper autem et De Arnim εἴ τῳ μὴ γένοιντο παῖδες secluserunt. Vahlen Arnimium in viam reduxit [1]). Tertium exemplum Geel putat

1) In diario, cui nomen „Hermes", a. 1895 p. 364. Cuius rei De Arnim mentionem fecit vol. II. p. 338.

inveniri p. 237a in verbis: ὑποβάλλονται πολλάκις δι' ἀπαιδίαν, ὅταν μὴ δύνωνται αὐταὶ κυῆσαι.

Ad p. 129c ἁπλῶς dixit significare „simpliciter sine artificio". Sed Reiske et Van Herwerden coniecerunt ἀμελῶς.

Ad p. 146a Reiskii causa docuit apud Dionem πατέρες saepe esse „parentes"; ad p. 150b, 263d, 280b, 582b καί idem esse atque καὶ ταῦτα, e. g. ἐάν τ' ἐν νήσῳ μικρᾷ καὶ μόνος (p. 263d).

Ad p. 202a improbavit, quod a Casaubono articulus in verbis ἀπὸ μητρὸς τῆς γῆς deletus erat — talia enim saepe apud Dionem legi (p. 103b, 455b, 522a) —; ad p. 190c Reiskium non rectius articulum delevisse.

Ad p. 210d in Reiskium animadvertit: „(περί c. acc.) sollertem quandam ac saepe repetitam eiusdem rei considerationem indicat"; tuetur itaque περὶ τοὺς θεούς a Reiskii coniectura περὶ τοῦ θείου.

Ad p. 211d fecit cum Reiskio, qui significaverat γνώμην esse εὔνοιαν, πρόσκλισιν τῆς γνώμης. Postea autem De Arnim invito Sonnio [1]) in textum recepit Wilamowitzii coniecturam ὁρμήν.

Ad p. 223b συνήσονται non esse mutandum scripsit: „intelliguntur enim liberi". Attamen De Arnim omnibus codicibus adversantibus in textum recepit συνήσεσθε.

Ad p. 248a propter Reiskium scripsit apud Dionem non sine exemplis ὅτι abundanter poni in his: ὡς οὐ μόνον ... ἀλλ' ὅτι καὶ τὰ ὄντα; eodem modo p. 249c ὅτι inveniri.

Ad p. 273b Reiske in verbis ὥσπερ εἶδος καὶ κάλλος post καί inseruerat οὕτω; „saepe omitti οὕτως, inquit Geel, in hac constructione, notum est", atque affert ὥσπερ τῶν θεῶν, καὶ τῶν ἀνδρῶν (p. 62c).

P. 291c ad ἡδονὰς ... μείζονας ἥσθη monuit Dionem talibus abundare.

Ad p. 355c „omnino, inquit Geel, solet Dio post καὶ μήν, quo frequenter utitur, inferre καίτοι".

In verbis οὐ διὰ τὸ μὴ ὑβρίζεσθαι, ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ διαμένειν

---

1) l.l. p. 187.

(p. 356c) *οὐ* non est tentandum, quod fecerunt Emper et De Arnim, nam est pro *οὐ μόνον*, „quod saepe tum in aliorum scriptis, tum in Dionis reperiri sciebat Reiskius, cuius vide notam ad p. 47b" [1]).

Ad p. 397d *ἀπάτην* etiam significare „delectationem" aliis exemplis probavit; ad p. 425c *τούτῳ* apud Dionem interdum contemptus aliquid inesse; ad p. 469c „particulis *εἴτε* — *εἴτε* ita oppositis, ut sequatur utrimque apodosis, frequenter uti Dio(nem)"; ad p. 478d *εὐθέως* non „statim", sed „exempli gratia" posse significare.

P. 479c in verbis *καὶ γάρ ἐστιν ἁμαρτήματα... ἀληθῶς* ante *ἀληθῶς* Reiske addiderat *ὡς*, qua coniectura non opus esse Geel aliis locis demonstravit.

P. 481c adscripsit *ὁρᾶν* interdum significare: „intentis animi oculis aliquo spectare".

Ad p. 552a dixit Dionem *τινά* adiectivo, quod est *πολύς*, adiungere solere [2]).

Ad p. 555b: „oblitus quam sibi in verbis *κηλεῖν* et *ἄγειν* placeant imitatores Platonis" Toup *κηλεῖν* in *κυκλεῖν* mutari iusserat.

Ad p. 558d in verbis *ὁ δὲ Σωκράτης ὅτι μὲν παῖς ὢν ἐμάνθανε λιθοξόος τὴν τοῦ πατρὸς τέχνην ἀκηκόαμεν* David, Schaefer, De Arnim *λιθοξόον* ut glossema eiecerunt; Geel autem verbum servavit, „quoniam artis illius indicatio opponitur sapientiae Socratis.... Ut graece dicitur *διδάσκειν τινὰ λιθξόον*, possis tueri *μανθάνειν λιθοξόος*" [3]).

Ad p. 593c verbis, quae sunt *αἰσχρὰ κερδανεῖ θεάματα* Dionem putat imitatum esse aut Euripidis Antigonae versum aut Philemonis versum *πᾶς γὰρ πένης ὢν μεγάλα κερδαίνει κακά* [4]) verbumque *κερδαίνειν* Grotium recte vertisse verbo, quod est „compendifacere", duobus exemplis probavit [5]).

Ad p. 644b *ἧπερ* vehementer defendit a Reiskii coniectura

1) Vol. I. p. 122.
2) Addo praecepti causa, nam h. l. Geel *εἶναι* in *τινα* mutavit.
3) Cf. Bibl. crit. nov. Vol. V. p. 527.
4) Apud Stobaeum XCV. p. 518.
5) Himerii Or. II. § 26; Aristidis Panath. I. p. 211 (ed Dindorfianae).

ἧπερ: „de auctore, inquit, huius scripti [1]) dubium me esse significavi: nisi autem minutum nimis esset, in istius particulae usu Dionis manum me agnoscere dicerem".

Ad p. 664a Dionem non abstinere scripsit a vocabulis poëtarum, ut *ἀριδηλότατον* (293d), *ὀλοφύρατο* (297b, 300a), *δυσάρεστον* (304c), *ἐπισπέρχειν* (308a), *στιλπνότατος* (436b).

B. Secundo loco [2]) afferam aliquot locos, ut demonstrem ex rectissimo Geelii iudicio non quodcumque mendum in libris inveniatur, librario cuidam esse attribuendum: Dionem enim ipsum interdum aut aberravisse a suo scribendi genere aut lapsum esse memoria aut mentitum esse.

Ad p. 37a: „Accidit aliquid, inquit, Dioni: nam incongrua haec sunt ceteris huius periodi membris. Non licebat ducis iustitiam cum militum iustitia comparare, nisi quatenus ipsi aliquod imperium haberent. Sed videtur tota haec oratio negligenter scripta esse; secundae certe Dionis curae ei defuerunt".

Ad p. 191a strenue mentitum esse Dionem ipsum contendit; quam ob causam recte nihil mutavit.

Verba *ὥστε νήπιοι παῖδες* (p. 202b), quo uno loco apud Dionem *ὥστε* legitur ea significatione, qua valet *ὥσπερ*, nec Geel neque Emper tentavit; De Arnim autem omnibus codicibus invitis in textum *ὥσπερ* recepit [3]).

Ad p. 207c *ὡς ἐκεῖνοι δι' ἀκοῆς ἐπιδεικνύντες ἀτεχνῶς, καὶ αὐτοὶ δι' ὄψεως, καὶ ἐξηγούμενοι τὰ θεῖα τοῖς πλείοσι καὶ ἀπειροτέροις θεαταῖς*, quod in codicibus est [4]), hoc modo defendit: „omissi *οὕτω* post *καί* quum in aliis scriptoribus, praesertim citerioris aetatis, multa exempla sint, in Dione hoc unicum est, quantum memini". Emper et De Arnim alio modo rem egerunt.

---

1) Est oratio LXXIV.

2) Cf. p. 90 huius Sectionis.

3) Ne codicum quidem lectionis mentionem fecit; cf. p. 79.

4) Prius *καί* M a manu correctoris habet; alterum *καί* M non habet, ut legitur in editione Emperiana. De Arnim parum accurate tantum significat: „*ὄψεως καὶ ἐξηγούμενοι* libri, praeter M".

In verbis ἀλλ' ὁ δεῖνά γε ἕστηκε πυκτεύων παρ' ὑμῖν (p. 357c) putat Interpretem [1]) sensisse aliquid desiderari, sed non recte supplevisse. „Igitur, inquit, vel alia interciderunt, vel obiter (Dio) tetigit rem praesentibus cognitam". De Arnim contra affirmat: „ipsum nomen a Dione prolatum esse, certissimum est".

P. 555d ad verba ἐν ... λόγοις τε καὶ ποιήμασι Geel animadvertit: „sit ita, ποίημα interdum prosam orationem significare, hic certe Dio poësin intelligit, quamquam exempla ex poëtis omittit".

Ad p. 564a Dio ei videtur „memoria lapsus Lysiclem commemoravisse, quocum in nullo certe Dialogo superstite sermonem habet Socrates".

Ad p. 583c Dio narrat Chryseidem cupivisse cum Agamemnone manere, dum audivisset de Clytaemestrae ὠμότητι. Quod verbum Geel servavit, quamquam illa ὠμότης „non apparuit ante caedem Agamemnonis; ad stupra referri ὠμότητα nequit".

Ad p. 640b: Τισσαφέρνης οὐκ ὤμοσε τοῖς περὶ Κλέαρχον; τί δὲ ὁ βασιλεύς; οὐχὶ καὶ τοὺς βασιλείους θεοὺς καὶ τὴν δεξιὰν ἀπέστειλεν; Emper haec contraria putans historiae ἀπέστειλεν mutaverat in ὑπερεῖδεν [2]). Credidit autem Geel „haec e memoria scribentem Dionem ...., ita interpretatum esse, quasi Regis iussu Tissaphernes Graecos foedere lusisset". Eidem fortasse obversata esse, quae paulo post de Ariaei cognatis narrantur (δεξιὰς ἔνιοι παρὰ βασιλέως φέροντες, Xenoph. Anab. II c. 4).

C. Ultimo loco [3]) loci nonnulli sunt afferendi, e quibus appa-

---

1) Illa antiqua interpretatio Latina videtur esse facta ex codice quodam, sed apparet interpretem textum, ubi parum intellexerat, temere mutavisse (cf. Geel ad p. 253a, 334d, 357c, 390b, 494c, 510a; Emperii praef. p. XXIII.) De Arnim (proll. p. XXXIX.): „ex illa versione, inquit, nihil auxilii sperandum est"; quo iudicio reum pro iam condemnato tractavit, nam Geel ad p. 142d (legitur ad p. 144d) interpretatione ista nixus contenderat ἤ excidisse ante καὶ τούτου. Quae particula postea in codicibus familiae P inventa est, sed eam etiam in codice C inveniri Geel ignorasse videtur. Deest in codice M, quod De Arnim notare praetermisit. Cf. huius Sectionis cap. IV. § 4 D.

2) „Observationum in Dionem Chrysostomum" (Lipsiae a. 1830) p. 62.

3) Cf. p. 90 huius Sectionis.

rebit Geelium non codicum aestimatione, sed textus interpretatione ductum lectiones codicum et editionis Morellianae correxisse ex aliis codicibus. Quod ut faceret, ei facultatem dederunt collatio sui codicis M („ten deele door een anderen, lang geleden, gemaakt") et collatio codicis Parisini C a Gildemeistero ei allata [1]).

Eligendum puto ex iis locis, quorum lectiones a Geelio praelatas Emper et De Arnim aut ambo aut alteruter in textu exhibent. Hoc mihi sumpsi, ut passim ex editionibus Emperiana et Arnimiana codices melioris notae adderem iis, quos affert Geel; monendum enim est fere ubique [2]) praeter lectiones editionum Venetae et Morellianae tantum ex collationibus nescio quo modo factis notas ei fuisse lectiones codicum C et M.

P. 23a lectionem codicum C M *ἐπαναστάντος* ceteris praetulit.

26d *δι' ἔτους* (C M) anteposuit lectioni *ἡδίστοις* (U B);

32a *ἱλαρεῖς* (C M) scripturae *ἀγαθεῖς*, quae invenitur in codice U et in margine codicis M;

71c *περιεῖλκεν* (B C) [3]) lectioni codicum reliquorum *περιῆλθεν* [4]); item lectionem codicis C *ἀνανῆψαι* praetulit scripturae *ἀνανεῦσαι*, quae in U B invenitur.

76b monuit *Φιλόψων* ex C, non *Φιλοψύχων* ex U B V, esse sumendum.

95b verbis *ἐξηπατημένοι τοῦ πράγματος*, quae editio Morelliana ex codicibus U B habet, inseruit ex C M *τῶν ἀπείρων*.

100d *δὲ οὐ χεῖρον* (U B M) defendit contra *δὲ καὶ ἧττον τὸ οὐ χεῖρον*, quod C habet, et contra lectionem codicum reliquorum, quam De Arnim secutus est: *δὲ οὐχ ἧττον* [5]).

131c [6]) *ἂν οἱ ὀφθαλμιῶντες* (C M V) legendum esse scripsit, non *ἄνθρωποι ὀφθαλμούς*, quod in codicibus U B et in margine codicis

---

1) Cf. Olympici praef. p. XXI.

2) Cf. huius Sectionis p. 80 sq.

3) Oratio III. et IV. huc usque deest in codice M.

4) De Arnim non annotavit *περιῆλθεν* esse in ceteris codicibus (cf. Emperii p. 81).

5) Qua de re infra acturus sum: cap. IV. § 1.

6) Hoc de loco Geel egit ad p. 449a.

M legitur [1]); ἂν οἱ enim cum compendio ἄνοι librarii confuderant.

154a lectionem, quae est ὅλως, ex codice M praetulit lectioni ὅμως reliquorum codicum [2]).

188a monet δεινούς (M) esse legendum, non ἢ δειλούς (U B T);

194a δακτυλίων (M), non autem ἀκτίνων (rell. codd.);

195c φυήσεσθαι (U B M), non φύεσθαι ex reliquis codicibus esse legendum;

198d νωθρούς (M), non νόθους (rell. codd.); πρὸς ἅπαντα δή (P Y C), non π. ἃ δέ (rell. codd.) esse legendum.

201b καθ' αὑτούς iniuria in codice U esse omissum; μᾶλλον δὲ συμπεφυκότες in ceteris codicibus praeter M desiderari iudicavit.

202a iussit εὐπορήσαντος (M) accipi, non εὖ πορίσαντος (rell. codd.) [3]).

220c iudicavit ἠνάγκαζε καὶ ἐξέπληττε (U B M) secundum P Y C inter se esse permutanda [4]);

224c δεινάν ex M esse accipiendum, non Ἀθηνᾶν, quod inde „confusione librariorum" sit ortum in reliquis codicibus; ignorasse videtur Geel lectionem familiae P Y C esse δεινὰν θεόν.

224d [5]) iudicat C propter compendium vitiose legisse αὐτῶν, recte alios codices praebere ἀνθρώπων;

229a P Y C recte omisisse καί in verbis ἕνεκα καὶ πλήθους (U B M);

237d C M „optime supplere" δούλη, quod omissum est in U, dum B exhibet δούλης.

298c ex M accipi iussit τοῦτον, pro τούτοιν, quod est in U B.

449a M recte legisse iudicat ἀνθρώπους, U B T ex compendio vitiose αὐτούς;

517d B M recte πρᾶγμα; U corr. et T ex compendio iniuria πρόσταγμα;

1) Lectionem marginis codicis M De Arnim neglexit.

2) De Arnim in textu habet ὅλως, Emper autem, qui dubitantur affert ὥστε, habet ὅμως.

3) Ita De Arnim; Geel autem et Emper lectionem codicum U C praebent ἐκπορίσαντος.

4) Cf. huius Sectionis cap. IV. § 4 D.

5) Vide Geelium ad p. 449a. De Arnim nihil de codice C attulit.

550b Ἄκτορα ex ceteris codicibus sequendum esse, non autem Ἕκτορα ex codice C.

565d ex compendio C recte legisse ἀνθρώποις, U autem vitiose αὐτοῖς [1]).

CAPUT IV.

DE GEELII IN DIONIS ORATIONES CONIECTURIS ET EMENDATIONIBUS.

§ 1. Capite proximo egi de Geelio Dionis textus interprete et vindicatore, nunc acturus sum de eodem artem criticam exercente. Quamquam enim arte critica eum usum esse in codicum lectionibus deterioribus a melioribus secernendis haud negaverim, hoc tamen magis esse interpretis — praecipue si, ut Geel, explicatione textus, non codicum genealogia atque aestimatione fretus rem tuam agas — vel inter omnes constare arbitror.

De Geelii igitur arte critica disputans rationem non sum habiturus eorum locorum, quibus meliorem lectionem e codicibus sibi cognitis restituit. Artem criticam Geel exercuit, quotiens quaesivit, utrum aut oratio quaedam aut sententia aut singula verba Dioni attribuenda essent, necne; ad artem criticam pertinent eius coniecturae et emendationes. Itaque de orationibus, sententiis, verbis deinceps acturus sum.

Tres orationes Geel Dioni abiudicavit, de duabus dubitavit. De oratione Corinthiaca (XXXVII.) haud ambigue scripsit [2]): „Dionis non est. Nihil duri dictum sit in magnos viros, qui discrimen non animadverterunt; dixeris autem, Dionem nondum plane cognitum fuisse iis, qui haec confundere potuerunt: etenim plane abhorret Corinthiaca ab Dionis dicendi genere tum oratorio tum rhetorico. Praeterea, quae in illa significantur, in Dionis

1) Vide Geelium ad p. 449a.

2) P. 341.

vitam non cadunt". Non cum Niebuhrio, qui hanc orationem Musonio attribuit, sed cum Emperio, qui eam quamquam dubitanter Favorino adscripserat [1]), Geel stare maluit. Cum iudicio eius congruerunt De Arnim [2]), Sonny, Schmid [3]).

Etiam orationes περὶ Τύχης (LXIII. et LXIV.) isdem [4]) assentientibus Dioni abiudicavit. Orationem LXIV. Favorino quoque attribuit propter „idem plane genus orationis adstrictae simul et concitatae, idemque studium ornamentorum poëticorum, ea(n)dem denique exemplorum copia(m) undique collectorum" [5]). Quod aiunt Sonny [6]), Hirzel [7]), Schmid [3]).

De orationibus LXI. et LXXIV. dubitavit. Scripsit enim deinceps de illa: „frigida argumentatio – haec quoque sententia stultissima est: si scripsit Dio, iuvenis erat nec subacti iudicii — in his nugis nihil affirmaverim" [8]). De altera autem: „nisi autem minutum nimis esset in istius particulae (ἤπερ) usu Dionis manum me agnoscere dicerem" [9]).

Transpositiones, in quibus Arnimii maxime facultas versatur [10]), perpaucae admodum a Geelio sunt factae: ad p. 371c vario modo Geel et De Arnim verba transposuerunt.

Dittographias paucas notavit: duas in oratione octava (ad p. 134b et ad p. 135a), „in quo sermone, inquit, multa sunt, quibus defuerunt secundae scriptoris curae"; praeterea ad p. 162a, 234a, 252d, 355d.

Numerus quoque glossematum, quae notavit, est parvus; praeter quindecim, quae in indice enumeravit, pauca tantum in annotationibus insunt.

---

1) „De Oratione Corinthiaca falso Dioni Chrysostomo adscripta", Brunsvigae a. 1832.
2) Vol. II. praef. p. III.
3) Apud Pauly-Wissowa l.l.
4) Arnimii vol. III. p. 158.
5) P. 420.
6) l.l. p. 219.
7) „Der Dialog" vol. II. p. 120.
8) P. 419.
9) P. 435.
10) Cf. diarii, cui nomen „Museum", vol. I. col. 432.

Apparet autem difficile esse ad efficiendum, quid ut glossema eiciendum sit: aliis alii hac in re obloquuntur. Sic ad p. 118c ex his verbis: *τὴν τῶν πολλῶν διάνοιαν, ἃ δὴ καὶ τοῖς πολλοῖς ἐδόκει* Geel posteriorem partem oppugnavit, aut ut glossema delendam aut emendandam esse ratus (*παλαιοῖς* pro *πολλοῖς* substituens). Etiam Emper et De Arnim verba uncis incluserunt, sed Vahlen id fieri vetuit [1]). Ad p. 195b verba *Περικλέα δὲ καὶ αὐτὸν λαθὼν ἐποίησεν* (sc. Phidias), *ὥς φασιν, ἐπὶ τῆς ἀσπίδος* putat „in praesenti loco tam otiosa et inepta…, ut scholiastae diligentiam refera(n)t”. Quae verba neque Emper nec De Arnim excludenda esse putat. Item ad p. 134b, 661d, alios locos.

Aliter se res habet, si codices varias lectiones praebent. Ad p. 100d Geel optime glossema notavit in his verbis codicis C: *ἀλλ' ἦσαν οἱ πατέρες ἡμῶν ἐλεύθεροι μέν, πένητες δὲ* < *καὶ ἧττον τὸ* > *οὐ χεῖρον ἡμῶν.* U B M omittunt *καὶ ἧττον τό*; P, qui Geelio ignotus fuit, pro *δὲ οὐ χεῖρον* habet *δὲ καὶ οὐχ ἧττον* et tamquam correctionem affert *οὐ χεῖρον*; reliqui sine *καί* praebent *δὲ οὐχ ἧττον* [2]). Optimo iure Geel significavit verba *ἧττον τὸ* codicis C partem fuisse glossematis, in quo annotabatur hominem agrestem locutione *οὐ χεῖρον* (haud minus) usum esse pro *οὐχ ἧττον*; cum U B M igitur esse legendum *δὲ οὐ χεῖρον.* Emper Geelium secutus est, non ita De Arnim, qui in textu habet *δὲ οὐχ ἧττον.*

Reliquum est, ut nonnulla de Geelio artem criticam in verbis exercente dicam. Iam antea [3]) vidimus eum hanc artis criticae partem more maiorum ceteris antetulisse. Textum corrigendum putat, si quod traditur bonam sententiam non praebeat, si Graece ita non dicatur, si a Dionis genere scribendi abhorreat. Primi et

---

1) In diario, quod inscribitur „Hermes”, vol. XXX. p. 363.

2) Editio Emperiana adhibenda est ad supplendam Arnimianam, quae codices praeter U B M P hoc loco non attulit. Ex lectione codicis C apparet hunc codicem non prorsus pendere ex codice P, codicem C igitur iniuria ab Arnimio esse neglectum (cf. Sonny l.l. p. 32, 52). Attuli hunc locum iam p. 78 et 96.

3) Cf. Sectionis I. p. 18.

secundi generis coniecturarum postea exempla praebiturus hoc loco afferam nonnulla, quae ad tertium genus pertinent.

In verbis τὸ πλῆθος ... ὥρμησεν ... ἐμβάντες (p. 23a) singularem numerum in pluralem mutavit: „nota elegantia, inquit, quae quum attica haberetur, secundum Moeridem p. 2, non mirum est a citerioris aetatis scriptoribus frequenter usurpatam esse: e Philostrato exemplorum nubem colligas". Ex Dione autem pauca tantummodo huius usus exempla attulit (p. 188a, 281d, „aliaque").

Ad p. 194d ὡς in verbis, quae sunt ὡς δὲ καὶ ὑμεῖς mutandum esse putat in ὁμοίως, nam „ut minus atticum est ὥς, ita, quantum memini, nunquam a Dione usurpatur".

Ad p. 255b cum Reiskio [1]) fecit, qui γιγνώσκειν mutari iusserat in ἀναγιγνώσκειν: „hic, inquit, si γινώσκειν servatur, oritur discrimen inter sentire et intelligere, quod Dio nec voluit significare nec potuit".

Ad p. 325a mutavit ἄλλως in ἰδίως, quod „ἄλλως non recte opponitur adverbio κοινῇ, et diligenter (Dio) ista observare solet".

Ad p. 399a pro ἔπειτα, „non Dioneum asyndeton", legit ἐπείτοι.

Ad p. 564a scripsit: „Dio memoria lapsus videtur Lysiclem commemorans, quocum in nullo certe Dialogo superstite sermonem habet Socrates [2]); tamen adeo falli non potuit, ut Glyconis nomen fingeret, quod in Socratis vita ne cognitum quidem est". Quapropter ex Glycone Lyconem emendavit [3]).

§ 2. Quoniam nonnulla Geelii coniectandi artis dedi exempla, iam primum investigandum videtur, quo studio in priorum conatis colligendis sit versatus, deinde quando coniecturam probandam putaverit.

Inde ab initio statuendum est eum quam maxime cavisse, ne „acta ageret". Quis exspectet virum diligentissimum in tantis acervis coniecturarum numquam errasse? Sed constat eum quam optime et diligentissime undique virorum doctorum coniecturas

---

1) Debebat scribere: cum Valesio; cf. paulo infra.
2) Cf. huius Sectionis p. 95.
3) Cf. huius Sectionis cap. IV. § 4 D.

conquisivisse; ita, ut perraro coniecturam ei, qui eam invenerat, non attribueret.

Tres tantum coniecturas vidi, quibus alienum nomen apposuit: p. 107d οὐχ ἵσταμεν est Seldenii, non Emperii; p. 255b ἀναγιγνώσκειν ante Reiskium Valesius emendavit; p. 412c ὃς ἐμβοήσεται Koehler ante Jacobsium invenit. Solas octo inveni, quas ipse tamquam suas proposuit, cum ab aliis viris doctis iam essent praeoccupatae, nam duae coniecturae (p. 351c [1]) εἴπερ ἄρα, p. 353d αὐτὸ ἀνελεῖν), quae nunc Pflugkianae in editionibus circumferuntur, fortasse sunt eius partis coniecturarum Pflugkii, quae post eius mortem demum ab Emperio publici iuris sunt factae [2]). Ex octo illis Sonny tres, ni fallor, in tabulis enumeravit: p. 15d ἀνομίας ante Geelium Van Eldik et Koehler coniecerant; p. 35d Ἰδάνθυρσον et p. 424d ἀποστῆναι sunt coniecturae Wyttenbachianae. Reliquae sunt hae quinque: p. 25d ἀσκεῖσθαι, facta a Seldenio [3]); p. 205a λέγομεν τήν, p. 390c εὕροι, p. 472a οὐδεὶς ἂν ἀντείποι a Reiskio; p. 517b Μυτιληναῖοι a C. F. Hermanno.

Identidem cum admiratione attulit coniecturas, quales Scaligeri, Casauboni, Pflugkii, Emperii. Memoria est dignum, quod ad p. 209c de Pflugkii coniectura quadam scripsit: „est haec una correctionum, quas mihi praereptas esse fere doleo".

Coniecturis aliorum virorum doctorum non probatis varia fortuna ipse aliquid excogitare conatus est: menda illa librariorum correxit, pro verbo usitatiore substituit verbum minus usitatum, emendavit ex Dionis fontibus, nonnumquam mera divinatione Dionis textum restituit. Quorum coniecturarum generum infra nonnulla exempla erunt afferenda [4]).

Aliquoties conclusit meliores lectiones e codicibus esse exspectandas, velut ad p. 253a: „quum facile corrigi possint, vera tamen lectio e Codd. exspectanda"; ad p. 606a: „ego excogitare nequeo, quod satisfaciat"; ad p. 133a dubitat quidem, „an pa-

---

1) Vid. ad p. 237a.
2) Cf. Emperii praef. p. VI. et XXII.
3) Cf. diarii, cui nomen est „de Gids", a. 1841 p. 562.
4) In paragrapho IV. huius Sectionis.

tientia potius quam duro palato opus sit ad balaenarum carnes manducandas", sed sperat „meliores libros (eam difficultatem) esse remoturos".

Iam venio ad illam quaestionem, quid a divinatione Geel postulaverit. Ubi divinando textum emendare posse sibi videtur, id agit, ut demonstret coniectura sua meliorem sententiam praeberi quam ante fuerit, idque, quod excogitaverit, eadem sententia aut apud ipsum Dionem aut in eius fontibus vel in eiusdem aequalium scriptis inveniri. Si aliorum virorum doctorum errores ostendit vel si quam coniecturam emendationis locum obtinere putat, non raro audimus eum quaerentem, qua ratione vitium sit ortum.

P. 123c Reiske *μέγιστον* delendum esse putavit in verbis *ὅπερ μέγιστον θρασύνεσθαι καλεῖν ὀρθότερον*, „sed — ita Geel — omisit quaerere Reiskius, qua ratione istud vocabulum ortum sit".

P. 188a Casaubonus divinando pro *δειλούς* iam invenit *δεινούς*, itaque legit *ἢ δεινούς*. Codex M *δεινούς* praebet sine *ἤ*, quam Geel putat veram esse lectionem, „nam postquam *δεινούς* in *δειλούς* abierat, librarius *ἢ* inseruit, quo salva esset sententia, iungens *τοὐναντίον ἢ δειλούς*".

Ad p. 203d scripsit: „facilius est expellere verba *τήν ἀπειρίαν τε καὶ ἄγνοιαν*, quae revera nimia sunt, quam unde nata sint ostendere".

Ad p. 558b emendationem C. O. Muelleri *Ἡγίου* pro lectionibus *ἤπου* (U B M) et *ἵππου* (P H C) hoc modo explanavit: „qui libros maiuscule scriptos triverunt, sciunt nihil fere differre *ἤπου* ab *Ἡγίου*".... „Concidunt, inquit, Casauboni et Reiskii commentationes (*Ἱππίου*), post repertum *ἵππου* in C et *ἤπου* in M".

P. 564a *ἀλλ' ἀνύτω τάχα μὲν* (H) [*αὐτῷ* superscr.];
ἀνύτω τάχα μὲν (P);
ἀλλ' αὐτῷ μὲν (B M U m.pr; U a corr. *ἀνύτωι*);
ἀλλ' Ἀνύτῳ τάχα αὐτῷ μὲν legitur in editionibus Veneta et Morelliana [1]).

---

1) De lectione codicis C „lectores habent, quod optent". De Arnim et hoc

Reiske putavit ex editionibus aut solum αὐτῷ delendum esse aut una cum τάχα. Quam lectionem sine τάχα habent Geel, Emper, De Arnim. Geel perturbatam lectionem hoc modo explicat: „si C [1]) et M non carerent verbis Ἀνύτῳ τάχα, tamen obvia esset suspicio, in his latere librarii correctionem: qui quum scriptum reperiret ἀλλ' αὐτῷ μὲν annotavit τάχα Ἀνύτῳ (scil. pro αὐτῷ) non imperite ille coniiciens: nam et facilis confusio est vocabulorum Ἄνυτος et αὐτός, et permutata sunt, ex. gr. in Themistio p. 239c. Haec igitur quum irrepsissent, textum turbarunt. Nunc haud dubie scribendum: Ἀλλ' Ἀνύτῳ μὲν ...".

Alia huius viae ac rationis exempla infra inter Geelii emendationes sum praebiturus.

§ 3. In animo enim habeo prius demonstrare Geelium saepenumero iis, quae ab emendatione postulanda sunt, non respondisse, nam „met minder dan deze drievoudige evidentie, dat er eene fout is, dat de voorgestelde verbetering den juisten zin aangeeft en dat zij het ontstaan van de fout ongedwongen verklaart, kan geene conjectuur de wetenschap dienen" [2]). Non semper vitium manifestum fuit, antequam coniecturam tentavit.

Quam saepe, quid ferri possit, quid non, in opinione positum sit, identidem ipse significat et in Olympico (velut ad p. 127c, 128c, 628c) et in literis ad Karstenium de Olympici editione datis [3]), ubi haec legimus: „Dat gij mijne correctie εὐφωνοτέραν (193d) tegenspreekt heeft mij doen lagchen. Van Lennep schreef mij, dat het vulgatum (σοφωτέραν) kostelijk in orde was, en dat dit uit het heele verband blijkt, en gij wilt het woord ook houden, maar in de beteekenis, die ik aan εὐφων(οτέραν) hecht [4]).

loco codicem C omnino neglexit, quamquam oratio LV. non est in codice P, sed in P* (cf. Sonny l.l. p. 30). Geel et Emper codicem C eandem lectionem praebere atque B M U arbitrati sunt. Sonny autem exhibet ἀλλ' Ἀνύτῳ τάχα αὐτῷ μὲν, quod idem est in editionibus.

2) J. Woltjer „Overlevering en Kritiek" p. 36.

3) Datae sunt d. 28 mens. Ian. a. 1841; asservantur in Bibliotheca Leidensi.

4) Stich (diar., cui nomen „Philologus", a. 1890 vol. III. p. 456) coniecit σεμνοτέραν.

Ik nu ontken, dat van Lennep het verband begrepen heeft, en tegen u houd ik staande, dat σοφός dáár op geen vogelenzang kan doelen. Wie heeft gelijk? En zoo gaat het veelal, optime! Die.... philologische subjectiviteit is een hatelijk ding!" Quod ut probaret nimirum, interdum (ut ad p. 252c, 480a) duas coniecturas una obtulit: minime tamen laudabiliter; meliores lectiones e codicibus erant exspectandae.

Supra [1]) iam enumeravi nonnullos locos (p. 23a, 194d, 325a, 399a), ubi sine ulla codicum auctoritate pro iis, quae non Dionea esse putabat, substituit quae cum Dionis genere scribendi congruere arbitrabatur. Videntur autem mihi defendi posse a coniecturis eodem modo, quo Geel alios locos integros manere iussit: non enim omnia vitiosa esse, quae aut semel aut perraro in quodam scriptore inveniantur.

Alia eiusdem generis addi possunt. Sic ad p. 237b verborum ἔφη — εἶπε hoc mutat in εἶπερ. „Frequenter quidem" — ipsius verba affero — „apud Platonem et Xenophontem consequuntur εἶπεν — ἔφη in eadem loquentis persona: qui inverso ordine poneret, vidi neminem, neque linguae ratio fert". Contra De Arnim ordinem hoc modo defendit: „pergente eiusdem personae oratione addidit (εἶπε), ut his verbis aliquid momenti inesse sentiremus". Ad. p. 480a ποιήματος in verbis, quae sunt τοῦ δὲ ποιήματος συντελεσθέντος, temere mihi mutasse videtur in δράματος „vel" θεάματος, quod „συντελοῦνται festa, certamina, sacrificia, huius generis alia; non carmen, nedum hoc verbum pro Tragoediae actione ponatur". P. 599b in verbis ἔδει δ᾽ ἄρα καὶ τὸν Πολυνείκην, εἴπερ καλῶς ἐβουλεύετο, κλήρῳ πρὸς τὸν ἀδελφὸν περὶ τῆς βασιλείας λαχεῖν sollicitat λαχεῖν, „cuius dictionis exemplum requir(it)", in quo μάχεσθαι vel aliud latere putat. Neque Emperio neque Arnimio persuasit.

Ne hae quidem varii generis coniecturae ferendae mihi videntur. Ad p. 69a [2]) ὡς, quamquam antecedit πρὸς ταῦτα, in ὅμως muta-

1) P. 101.
2) Leguntur haec verba ad p. 68d.

verat, quod ipse se poenitere dicit in Phoenissarum editione ad vs. 526: „Quasi in formula est ὡς post πρὸς ταῦτα. Cf. Plato Apol. 30b. Imitati sunt recentiores. Itaque poenitet me obscuratum esse in Dione Chr. p. 68d ubi mutavi ὡς in ὅμως".

Ad p. 76b δαιμονίων iniuria mutavit in δαιμόνων, quod δαίμων et δαιμόνιον apud recentiores permutentur [1]).

P. 180b nulla codicum auctoritate nixus intulit Ἀχιλλέως ante ἀριστείαν et verbum ποιεῖ in sententiam, quae incipit ab ὅτε μέν.

P. 226a, 296a, 399a, aliis locis ad ἔπειτα addendum esse δέ aut mutandum esse in ἐπείτοι putavit, quod iure Sonny l. l. p. 197 negat.

Ad p. 252d ἴσων eiecit tamquam dittographiam verborum οὐχ ὁμοίως, quasi Dioni soli non liceret pleonasmo uti.

Ad p. 272b σῖτον in σιρόν depravavit, nam bibliopolarum fraus non haec erat, ut in loci alicuius depressi et subterranei marcore papyrus vetustatis colorem contraheret, sed in frumento, ut ostendit Jahn loco ex Davide philosopho Armenico allato [2]).

Ad p. 310d in verbis οἷς μᾶλλον ἀφελοῦσι τῶν ὄντων συνέφερε „non leniorem corrigendi rationem" vidit quam hanc: οἷς μᾶλλον ἂν ἀποβαλοῦσι τῶν ὄντων συμφέροι. Sonny autem duos locos affert [3]), quibus ἀφαιρεῖν coniunctum est cum genitivo.

P. 491c iniuria mihi videtur mutasse ἥδιον in νὴ Δία, quamquam talis „frequens fuit librariorum error".

Ad p. 530a ex verbis ἑτέραν δὲ γυναῖκα ... Σεμίραμιν primum mutavit in ἑταίραν, quod Dionei fontes Semiramidem ἑταίραν appellent atque ἑτέραν oppositum non habeat. Sed ut ἄλλος, ita vocabulum, quod est ἕτερος, ipsum nonnumquam oppositionem designat.

P. 661d speciosius (propter compendium ἀνοις) quam verius mutavit καὶ ἀνθρώποις ἅπασι in καὶ ἀνοίᾳ ἁπάσῃ.

---

1) Cf. Sonny l.l. p. 204.

2) In diario, cui nomen „Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft", a. 1842 col. 517. Locus est in Aristot. Categ. Quamquam moniti ab Emperio, ne σῖτος sollicitaretur, tamen eandem coniecturam atque Geel postea fecerunt Doehner et Schmid.

3) l.l. p. 198.

Ad p. 665d pro verbo, quod est ὅστις, substituit εἴ τις, quod necesse non esse Sonny exemplis demonstrat [1]).

§ 4. Multis locis Geelio contigit, ut Dionis textum traditum in integrum restitueret.

Eius emendationes varii generis esse supra iam significavi [2]): duas elegi, ubi Geel menda librariorum correxit; quattuor, quibus pro verbo usitatiore verbum minus usitatum substituit; duas, ubi ex Dionis fontibus Dionem emendavit; reliquae, quas annotavi, potius merae divinationi attribuendae esse videntur.

A. Iam ante enumeravi nonnulla exempla, ubi Geel alteram partem codicum altera correxit [3]). Hoc autem loco duo documenta afferam eum solitis illis librariorum mendis detectis [4]) totam traditionem propagatam correxisse.

Ad p. 236a codicum lectionem ὁμόσαι ἴσως ἔοικεν [5]) correxit in ὁμόσαις, ὡς ἔοικεν atque pro ἀλλὰ καὶ restituit ἂν καί.

P. 364a ad ἓν ἢ δύο ῥῆμα εἰπόντες annotavit: „expunxerim glossam ῥῆμα, nisi δύο natum est e β′ scl. δεύτερον, nam ἓν ἢ δεύτερον ῥῆμα graece dicitur". Quam mutationem etiam Sonny [6]) plurali numero ῥήματα, quem Casaubonus et De Arnim coniecerunt, praetulit.

B. Quattuor locos annotavi, ubi Geel textum emendavit verbis minus usitatis pro usitatioribus substitutis.

Ad p. 45b tertia codicum familia, cuius est codex P, exhibet παρὰ μόνων δὲ τῶν ἀγαθῶν, prima autem et secunda familia, qua-

---

1) l.l. p. 227.

2) P. 102 huius Sectionis.

3) P. 96—98; p. 100.

4) Complures librariorum errores ex compendio ortos Geel ad p. 449a significavit.

5) Cobet Emperium docuit (vid. Emp. p. 823) Urbinatem 123 hoc loco habere ὁμόσαις ἴσως. ἔοικεν. De Arnim autem, quamquam proll. p. XIII. scripsit se orationem XV. ex Urbinate 123 quoque contulisse, tantum lectionem Urbinatis 124 ομοσαι ἴσως εοικεν exhibet.

6) l.l. p. 201.

rum sunt U B et V [1]), pro ἀγαθῶν habent θεῶν. Geel coniecit ὁσίων, „quo respicit ipse Dio mox dicens: ἡγεῖται δὲ τὴν ἀρετὴν ὁσιότητα". Qua de coniectura Sonny, cui auctoritas codicum primae et secundae familiae maior est quam tertiae solius, scripsit [2]): „Geel sine dubio recte restituit.... elegantissima est coniectura, palaeographicam si spectas rationem (ΘΕΩΝ—ΟCΙΩΝ), ad sensum aptissima" [3]).

Ad p. 139a codices U B primae familiae habent τῶν ἐκ θεσσαλίας; codices M V secundae familae τῶν ἐκ μεσσαδίας (M a corr. Θεσσαλίας) [4]); codices tertiae familiae P C τῶν ἐκ μεσαδίας. Geelio editionum lectio ἐκ Θεσσαλίας suspecta est, „quod (Dio) enumerat eos, qui μακρόθεν advenerant, ac media tamen ponitur Thessalia inter Libyam et Borysthenem". In lectione codicis M μεσσαδίας latere Μασσαλίας ingeniosissime coniecit. Emper et De Arnim cum eo fecerunt.

Ad p. 190d Geelii est coniectura, quae ei ipsi quam maxime placuit [5]). Ibi olim legebatur: ὕστερον δὲ τῶν Ἀχαιῶν τοὺς ἐκπεσόντας ὑπὸ Δωριέων ἀποροῦντας, ὅποι τράπωνται, δι' ἀσθένειαν εἰς τὴν Ἀσίαν ἐλθεῖν ὡς παρὰ φίλους τε καὶ ἐνσπόνδους τοὺς ἀπὸ Πριάμου τε καὶ Ἕκτορος λαβόντας οἰκῆσαι κατὰ φιλίαν, παρέντες καὶ ἄλλα οὐ σμικρὰ χωρία. Casaubonus, cui λαβόντας non suspectum fuit, pro παρέντες coniecit Πάρον τε. Qua de coniectura Geel scripsit: „ingeniosa quidem est, sed non cogitavit èt longe distare hanc insulam a continenti, èt perparvam esse" atque correxit λαβόντας in Λέσβον τε et παρέντες in παρέντας, „nam revera, inquit, Lesbus οὐ σμικρὸν χωρίον est, eamque occuparunt Achaei, a Doribus expulsi: de qua traditione satisfacient Strabo p. 583 sq.

---

1) Oratio III. et pars orationis IV. desunt in codice M.

2) l.l. p. 71.

3) De Arnim familiam tertiam secutus est.

4) De Arnim lectionem codicis M omisit, quamquam ex hoc quoque apparet codicem M esse correctum ex codice familiae primae.

Cobet Emperium docuit lectionem codicis V esse μεσαδίας.

5) Bakhuizenio enim scripsit (cf. diarii, quod inscribitur „de Gids", a. 1906 vol. III. p. 428): „ik stel uw ὡραϊσμόν op gelijke lijn met de mooiste (conjectuur), die ik op Dio gemaakt heb: p. 227 van mijn boek Λέσβον τε.

aliique, quos accurate explorat Plehnius in Lesbiacis p. 37 sqq. Παρέντας refertur ad Priami posteros, diciturque in iis, quae ultro sine contentione cedentur". Λέσβον τε acceperunt Emper et De Arnim; pro παρέντας De Arnim autem Wilamowitzii coniecturam *παρέντων* accepit.

Ad p. 469c praeter M codices circumferunt: *διὰ τί δὲ τοσούτων πεπολιτευμένων παρ' ἡμῖν ἀνδρῶν ἐπιχωρίων, π ο ι η τ ῶ ν, ῥητόρων, φιλοσόφων . . . οὐδέποτε οὐδεὶς ἐτόλμησεν ἡμῖν συμβουλεῦσαι ταύτην τὴν συμβουλίαν* Codex M pro verbo *ποιητῶν* exhibet *εἰς ποιητῶν*, unde Geel coniecit *εἰσποιητῶν*, „quo Dio, inquit, vel lectos in senatum intellexerit (cf. p. 543b) vel quibus ius civitatis dedissent Nicomedenses".

C. Iam sequuntur duo loci, quibus Geel textum emendavit ex Dionis fontibus; sunt autem documenta perlucida.

Ad p. 27a pars codicum habet *σελίνων τε καὶ ἑτέρων*, sed reliqui codices (U B V) carent verbis *καὶ ἑτέρων*. Ex Odyss. ε vs. 72 *ἴου ἠδὲ σελίνου* Geel apud Dionem emendavit *σελίνων τε καὶ ἴων*, quam emendationem acceperunt Emper et De Arnim.

P. 117c ex verbis *ἀργυροῦς κρατῆρας ἢ ποικίλους πέπλους ἢ τέθριππον ἢ τὰ Ἑλένης καὶ Μενέλεω Τηλεμάχῳ δῶρα* secutis Emperio et Arnimio eiecit *ἢ* ante *τὰ Ἑλένης*, „nam dona modo enumerata, eadem sunt, quae Telemacho dederunt Menelaus et Helena: vid. Hom. Od. XV, 115, 125. IV, 590."

D. Aliquot exemplis ostendam Geelium saepius mera coniectura Dionis textum restituisse.

Maximi momenti in hoc genere sunt loci, quibus coniecit quod in codicibus postea collatis scriptum invenitur [1]). Contuli Geelii in orationes XI. et XII. coniecturas cum variis lectionibus apud Emperium et Arnimium annotatis: tres id genus emendationes inveni. Orationem XII. elegi, quod Geel huius orationis varias

1) Cobet Geelio scripsit („Brieven van Cobet aan Geel" p. 410) optimis codicibus P et V multas coniecturas Casauboni, Reiskii, Geelii praeoccupatas esse.

lectiones ipse in calce edidit. Annotationibus in reliquas orationes Geelium „tantum ubi lubebat" [1]) praeter codicem M et aliquot parvas collationes adhibuisse collationem codicis C a Gildemeistero factam [2]) antea vidimus, nec non codice M excepto neglegentiorem eum fuisse in afferendis lectionibus et coniecturis. Quam ob rem, quod deest in codice C, praeterea elegi orationem, quae antecedit XII [3]).

Duas Geelii coniecturas in oratione XI., unam in oratione XII. annotavi, quibus invenit quod exhibent codices postea collati. P. 163d ex verbis codicis M *βοῦν γενομένην οὕτως οἰστρήσ α ς ἀ ν-ελθεῖν* (at *σας* et *ἀν* in rasura) invenit: *βοῦν γενομένην οὕτως οἰστρήσα σ α ν ἐλθεῖν*, quod est in codice B [4]). P. 173d M habet: . . . *ὁ Μενέλαος ὡς κενὰς αὐτῷ χαρίζεται*; Geel eiecit *ὡς*, quod recte deest in codice V [5]) et in codicibus familiae tertiae; itaque interpunxit post *Μενέλαος*. P. 211c pro *συμβούλου* (U B, M) et *συμβούλῳ* (alii) coniecit *συμβόλου*, quod invenitur in P Y [6]) et acceptum est ab Emperio et Arnimio.

Praeterea locos nonnullos afferam, quibus Geel textui veram medelam adhibuisse mihi videtur, inter quos duo (p. 142a, 220c), ni fallor, sunt eiusdem auctoritatis atque illi tres, quos modo attuli.

P. 86d: *σαπρόν τε καὶ μυδῶντα* (classis III.)
σαπρὸν δὴ καὶ μυδῶντα (U B V)
σαπρόν τι δὴ καὶ μυδῶντα (M) [7])
σαπρὸν ἤδη καὶ μυδῶντα (Geel).

Sonny (l.l. p. 71) cum Geelio facit: putat enim ex archetypi

---

1) Cf. Geelii praef. p. XXII.
2) Cf. eius praef. p. XX. sq.
3) Cf. Sonny l.l. p. 32.
4) De Arnim Geelii coniecturam in textu habet, sed codicis M errorem annotare omisit nec significavit verba *οὕτως οἰστρήσασαν ἐλθεῖν* in nonnullis codicibus deesse (vid. Emperium ad p. 163d); itaque Emper aut De Arnim indiligentior fuit.
5) *ὡς* a correctore in V est deletum (vid. Emperium et Arnimium).
6) Codex C videtur habere *συμβούλῳ*, sed neglegitur ab Arnimio.
7) Quae lectio, quamquam proxima ab archetypo, ab Arnimio neglegitur.

lectione HΔH factum esse TIΔH, deinde codices U B V amisisse priorem partem verbi TIΔH, codices autem familiae tertiae posteriorem partem.

P. 124d, aliis locis, annuente Cobeto pro ἐν βραχεῖ scripsit ἔμβραχυ, „ut potius sit omnino quam paucis" [1]).

P. 142d [2]) in verbis ὅσοι κακῶς ἐσκήνουν ἢ καὶ τούτου ἠπόρουν omittitur ἢ in codicibus praeterquam familiae tertiae [3]); Geelio autem ignotum fuisse videtur ἢ legi in codice C [4]), nam scripsit: „Excidit ἢ ante καὶ τούτου. Proxime vero Interpres: quicunque male habitabant, vel ne hoc quidem consequi poterant."

P. 150c pro litera ν in verbis ἔλαθεν περὶ (U V M [5]); ἔλαθε sine ν ceteri) coniecit με. Similem coniecturam adhibuit p. 413d in λανθάνειν, ὅτι. Utroque loco eum secuti sunt Emper et De Arnim.

P. 191c legitur πρῶτον μὲν γὰρ πολὺ ἐλάττω τὰ ψεύσματά ἐστι τῶν περὶ τοὺς θεούς. Ante πολὺ codices omnes habent οὐ, quod Geel expunxit: „fuerunt enim, inquit, Homeri mendacia in rebus hominum multo minora iis, quae inde ab Hesiodo de diis mentiti sunt: neque agnovit particulam Filelfus, cuius versio ...."
Emper et De Arnim idem fecerunt.

P. 205a οὐ κατὰ πλάνην συστᾶσαν (cl. III.)
οὐκέτι πολλὴν σύστασιν (B M)
οὐκέτι πολλῆς σύστασιν (U) [6])
οὐκ ἐπιπολῆς συστᾶσαν (Geel).

Emendavit ex Reiskii „conjectura ingeniosa": οὐκ ἐξ ἐπιπολῆς συστᾶσαν. Emper et Sonny cum Geelio faciunt; De Arnim eius coniecturae mentione facta lectionem familiae III. retinet.

---

1) Cobet hanc Geelii coniecturam ad p. 198a improbavit: „semel, inquit, Dio recte imitatus est Antiquos" („Var. Lect." a. 1873 p. 208).

2) Legitur haec annotatio ad p. 144d.

3) De Arnim in calce habet: „ἡ om. U B V"; debebat esse: U B V M (cf. Geel et Emper).

4) Cf. Emper ad l.l.

5) De Arnim neglexit M.

6) Ita Sonny, qui l.l. p. 74 exhibet: „De Arnim in U πολλὴν inesse per errorem scribit. Hic locus inter eos est, quibus U meliorem servavit scripturam quam et B et reliqui codices omnes". Cf. huius Sectionis p. 78.

P. 220c codicum scripturam *πρὸς δή* omnium editorum consensu mutavit in *πρὸς δέ*. Quod attinet ad *ἠνάγκαζε καὶ ἐξέπληττε* (U B M) [1]) hoc modo diiudicavit: „Denique didici quidem, verba traiecta differre a positis *διὰ μέσου*, sed ex communi fonte repetenda arbitror: verum neque haec omnia, neque alia, quae de hoc confusionis genere afferuntur, me commovent, ut Dionea *ἠνάγκαζε καὶ ἐξέπληττε* scriptoris potius elegantiae, quam socordiae librarii tribuam. Corrigo *ἐξέπληττε καὶ ἠνάγκαζε*". Eodem ordine verba leguntur in codicibus classis III. Hoc quoque loco igitur emendavit deteriorem codicum lectionem in meliorem, quae est in codicibus postea collatis.

P. 414a *ἀλλὰ ἐνίοις αὐτῶν* est Geelii emendatio pro *ἀλλὰ οἷς αὐτῶν*, quod licet omnes codices habeant, sensu tamen caret.

P. 562d *ὁ δὲ ὑπὸ τῶν ἵππων ἐπαιρόμενος καὶ τῷ κάλλει τοῦ δίφρου ᾤετο μὲν ὑπὲρ τὸ τεῖχος ἐλάσειν* nunc in editionibus circumfertur: *ᾤετο* Geel, ut Valckenaer alio loco, invenit pro *ὡς τὸ* (U B M) vel *ὡς τότε* (in ceteris codicibus).

P. 564a *Σωκράτης ... Ἀνύτῳ μὲν διαλεγόμενος βυρσέων ἐμέμνητο καὶ σκυτοτόμων, εἰ δὲ Λυσικλεῖ διαλέγοιτο, ἀμνίων καὶ καδίων· Λύκωνι δὲ δικῶν καὶ συκοφαντημάτων*. A Geelio est emendatum *Λύκωνι*; in codicibus est *γλύκωνι* (M H P C) et *γύκωνι* (B U). „Etsi, inquit, (Dio) memoria lapsus videtur, Lysiclem commemorans [2]), quocum in nullo certe Dialogo superstite sermonem habet Socrates; tamen adeo falli non potuit, ut Glyconis nomen fingeret, quod in Socratis vita ne cognitum quidem est. In promtu est *Γλαύκωνι*, quod Reiskius in medium protulit, non reputans, cum hoc Platonis fratre, quippe generoso iuvene, nusquam Socratem ita disputare, ut *δίκας* et *συκοφαντήματα* ei obiiciat... His igitur exclusis, scripsisse Dionem coniicio *Λύκωνι*, cuius nomen cum Anyto optime coniungitur utpote eius, qui illi ac Meleto tertius accessit Socratis accusator... Neque alienum est a Dioneis *δικῶν* et *συκοφαντημάτων*, quod in Platonis Apol. p.

---

1) Cf. p. 97 huius Sectionis.
2) Cf. huius Sectionis p. 95.

24a Socrates ait, Lyconem sibi insidiatum esse ὑπὲρ τῶν ῥητόρων".

P. 648c propter dativum optime pro οἴονται rescripsit ἕπονται in his verbis: βουλόμενοι γὰρ αὐτῷ (M; reliqui αὐτό) πάντες καὶ δίχα ἀνάγκης οἴονται.

P. 661d nunc ex Geelii coniectura haec leguntur: „(vir bonus) τὴν αὑτοῦ διάνοιαν καθαίρει τῷ λόγῳ καὶ πειρᾶται παρέχειν ἀδούλευτον, πολὺ μᾶλλον περὶ τῆς ἐλευθερίας μαχόμενος ἡ δ ο ν α ῖ ς τε καὶ δόξαις. Pro ἡδοναῖς in codibus est ἢ ὀδύναις. Reiske eiecit ἢ, „quo facto, inquit Geel, tamen reliquit illud, quod sententiae minus convenit: servire d o l o r i b u s enim in philosophorum schola nemo dixit, sed v o l u p t a t i b u s: itaque restituamus, in quo locum certe η tueatur, ἡδοναῖς".

Praeter eas Geelii coniecturas, quae emendationum nomine non indignae esse videntur, quarum exempla hucusque attuli, aliae sunt eaeque non paucae, quas, quamvis pro certis haberi non possint, tamen cum optimis aliorum inventis haud immerito comparari liceat. Quas ordine omnes enumerare necesse vix puto. Sic enim persuasum habeo, si iis, quae supra exposui, demonstrare mihi non contigerit, quantam et quam utilem operam studiis Dioneis praestiterit vir eruditissimus idemque sagacissimus, me in tali re, ubi omnia opinioni quam maxime sint subiecta, iudicium meum aliis probare frustra conaturum.

SECTIO III.

De Geelii editione Phoenissarum.

CAPUT I.

QUID GEEL EURIPIDIS PHOENISSAS DENUO EDENS SIBI PROPOSUERIT QUAMQUE VIAM AC RATIONEM SIT SECUTUS.

§ 1. In epistula d. 4 m. Oct. a. 1846 ad C. G. C. Reinwardtium a Geelio scripta[1]) legimus: „daar hebt ge een kleinen partus van mij, Reinwardti carissime!, met een placenta er achter: dus is de bevalling compleet. Of het kind wassen zal, en genade zal vinden bij de menschen, zal ik afwachten. Het terrein van mijn onderwerp was glibberig. Indien gij soms lust krijgt, uit genegenheid voor mij, het boek eens in te zien, lees dan twee noten: p. 173 sq. (ad v. 1122—1126) en p. 182 sqq. (ad v. 1190—1194)[2]). Zij kunnen u doen zien, wat mijn plan en methode geweest is".

Infans ille chartaceus Lugduni Batavorum apud H. W. Hazenberg & Socios a. 1846 in lucem prodiit; nomen ei est: „Euripidis Phoenissae, cum Commentario edidit Jacobus Geelius. Cui Scholia antiqua in Euripidis Tragoedias partim inedita partim editis integriora adiunxit C. G. Cobetius".

---

1) Asservatur in Bibliotheca Leidensi.

2) Apud Nauckium et Weckleinium vs. 1114—1118 et vs. 1182—1186.

Continet praeter praefationem 12 paginarum 326 paginas quarum Phoenissarum textus Graecus 74, scholia 60 paginas obtinent.

Pag. V. praefationis de consilio et ratione haec Geel scripsit: „natus est hic Commentarius post exploratas Hermanni et Klotzii editiones Phoenissarum [1]), quum Euripidem Aristophanis causa denuo legerem. Quid sentiam de Hermanni ratione interpretandi recensendique Poetae, deque iudicio quod tulit de Valckenaerii *κρίσει* et *ἀθετήσεσιν*, in hac Praefatione non commemoro, quamquam multa disputare poteram de Valckenaerio, de huius „corrigendi pruritu", de „doctrinae ostentatione", de „effundendis iis quae ut scire bonum sit, at nescire malum non sit" [2]), deque aliis quae in eo reprehendi video, quaeque ut haud omnino vere culpantur, ita confunditur hominis consilium cum eo quod temporum vitium dicitur, multo vero potius necessaria conditio est, pendens illa ab naturali lege cuiusvis disciplinae condendae ac sensim finibus suis circumscribendae. Sed veritus sum ne *σκιαμαχίαν* ingrederer, si responderem iis quae Hermannus in Praefatione [3])

---

1) Hermanni Phoenissae a. 1840 Lipsiae sunt editae, Klotzii a. 1842 Gothae.

2) P. v. sq. Hermannianae praefationis haec leguntur: „Quos inter (interpretes et criticos) qui merito primarium locum tenet, L. C. Valckenarius, is est, quo, ut dicam quod sentio, nec doctior potuit Phoenissis contingere, nec qui lectorem magis excruciet. Immensa fuit in illo viro copia doctrinae, egregiumque ingenium: sed ipsa illa vis eruditionis fecit ut ea abuteretur, et quum modo effunderet quae ut scire bonum sit, at nescire non malum est, modo coniecturis attrectaret quae sanissima sunt, nunc moratur lectorem alienis, nunc fatigat fastidio simplicitatis importunoque ubique aliquid mutandi pruritu. Non sum nescius repetendum id esse partim a consuetudine eius popularium, apud quos summa laus habebatur multam lectionem ostentare, partim a tempore, quo virtus critici in quadam ad coniectandum propensione, si vel codex aliquis vel similis antiqui scriptoris locus ansam praeberet, posita putabatur". Paulo post: „qui laudis illius (spuria a genuinis scire distinguere) adipiscendae gratia de industria suspiciones venatur, in eo ista obelis ostentandae perspicaciae cupiditas postremo in morbum vertit, ipsi quidem qui eo morbo tenetur gratum, aliis autem molestissimum et pene intolerabilem".

3) Bakhuizenio d. 17 m. Febr. a. 1845 scripsit: „Uw bezoek bij den Comthur (sc. Hermannum) heeft mij geamuseerd; maar het is nog niet genoeg, wat gij zegt, „dat men hem zijne praefatio voor de Phoenissae niet vergeeft": de geheele editie zal ik hem nooit vergeven". („Briefwisseling" p. 100). Cf. huius Section. cap. II. § 2.

nescio qua de causa importunius ac fortasse praeter intimum animi sensum disseruit. Itaque Commentario usus sum, ut in singulorum interpretatione locorum, qui Hermanno ad vellicandum Valckenaerium ansam dederunt, dissensum meum significarem. Saepe enim Virum celeberrimum deprehendere mihi visus eram in ipsa Valckenaerianorum acerba refutatione errantem. Haec notavi: deberi enim hoc putabam manibus viri [1]), cuius praeter immensas doctrinae copias „egregium ingenium” Hermannus ipse praedicaverat”.

Paucis post versibus haec leguntur: „Klotzium expertus est Hermannus τῶν αὐτοῦ λόγων κοπίδα: inter quos incedens, quum hic receptam traditionem verborum Euripidis non nimis revereatur, ille ne transversum quidem unguem ab eadem deflectat, paulum, opinor, inclinavi ad illam partem, ubi salvas videbam linguae leges ac superstitiosa sollicitudine vacuam errorum considerationem”.

Phoenissarum igitur editio Geeliana imprimis est facta ad editionem Valckenaerianam adversus Hermannianam et Klotzianam defendendam atque vindicandam.

Sed etiam sua sponte annotationes et coniecturas permultas Geel addidit [2]): artem criticam exercere ei voluptati erat.

---

1) Geel d. 9 m. Iul. a. 1845 amico suo Ritschlio, Hermanni discipulo, scripsit (huius epistulae exemplar asservatur in Bibliotheca Leidensi): „Hn Preller's Brief habe ich mit wahrer Freude gelesen: von jenem Kriege aber, zu dem sich Holland gegen Deutschland rüsten soll weiss ich nichts. Hier muss Hr Preller meinen theuren Cobet wohl misverstanden haben. Wenn ich vielleicht einmal Ihren wirklich grossen Hermann vor's Gericht rufe, der mir meinen grossen Valckenaer im Grabe sollte haben ruhen lassen, so wird das individualiter geschehen”.

2) Cf. quae Bakhuizenio d. 18 m. Sept. a. 1845 scripsit: „Ik beken, dat mijn commentarius begonnen is uit polemiek tegen Hermann en om Valckenaer tegen dezen gefeierten man te handhaven. „Het is bijna de moeite niet waard” zegt Cobet, die meent dat Hermann, zelfs in Duitschland uitgediend heeft. Zóó ver heb ik het nog niet gebragt. Maar met den πόλεμος tegen Hermann en de vindicatie van Valckenaer kan ik niet volstaan, zoo ik niet iets dragelijks over de menigte moeijelijkheden der Phoenissae e proprio sinu voor den dag weet te brengen”. („Briefwisseling van Bakhuizen van den Brink” p. 194.) Cf. etiam quae Geel Hamakero scripsit (p. 92 Hamakerae Disp. Lit.)

Occasione oblata — fortasse quaesita [1]) — Cobet hoc ipso anno 1846 munus adeptus, cui iam dudum amici atque patroni Geel et Bake eum destinaverant, praemissa in libri initio praefatione post Geelii in Phoenissas commentarium „Scholia antiqua in Euripidis Tragoedias partim inedita partim editis integriora" (inde a p. 251 usque ad p. 310) edidit [2]).

Amici rogatu Cobet in Italia Phoenissis operam dederat: „ik heb de Phoenissae voorleden jaar geheel gecollationneerd (zonder veel vrucht) en ettelijke goede scholia erop gevonden en afgeschreven. Ik zoude u dit alles toezenden, indien ik wist hoe" [3]). Multis aliis locis in Cobeti ad Geelium epistulis de opera Euripidi eiusque scholiis data mentio fit. Persaepe scholiis ad Phoenissarum textum explicandum et emendandum Geel usus est: cuius rei vix ulla pagina testimonium non praebet.

Iure dicit se curavisse, quantum potuerit, ut virorum doctorum opiniones de Phoenissis cognosceret; „de aliis", ita pergit, „quae commentati sunt, non quidem neglexi, sed minus sollicite, quoties inventum aliquod meum sponte natum proferebam, circumspexi" [4]). Perpauca tantum in hanc legem peccata inveni. Vs. 1343 [5]) auctore Valckenaerio a Geelio deletum esse recte monet Wecklein. Miro errore Geel neglexit Valckenaerii de hoc versu sententiam („multo rectius fuisset omissus meo iudicio") afferre. Vss. 577 et 1215 Reiskii coniecturas Geel iteravit. Vs. 403 a Valckenaerio discrepat fretus et aliis argumentis et eodem,

---

1) Diarium, cui nomen est „Allgemeine Zeitung", a. 1843 m. Iun. epistulam iam publici iuris fecerat, in qua legitur: „(Cobeti) hier (sc. Romae) zusammengebrachter inedirter Scholienapparat zu Euripides mit zahlreichen Stellen sonst unbekannter Classiker wird in der Philologie eine Erscheinung werden".

2) De Cobeti scholiis cf. Naberi „Vier Tijdgenooten" p. 217; „Zeitschr. f. d. Alterthumswissenschaft" a. 1847 col. 861 sqq.; „Gottingische gelehrte Anzeigen" a. 1847 p. 1537—1559; „Philologus" a. 1848 p. 408—435; „Jahrbücher f. Philologie" a. 1849 p. 282—286.

3) „Brieven van Cobet aan Geel" p. 512.

4) Praef. p. XII.

5) Hic et ubique laudo Phoenissarum versus secundum Nauckium et Weckleinium.

quo Hermann iam usus erat, cuius tamen nomen non affert. Phoenissarum commentarium angustioribus finibus quam Dionis terminavit: pauciores in illo coniecturae, quae pertinent ad alios scriptores, inveniuntur. Eae, quae in commentarii indice annotantur, magna ex parte ad Tragicos, praecipue ad Euripidem, attinent. Neque ita copiose de singulis quaestionibus scribit neque ita excurrit [1]), ut interdum in Dionis commentario: pleraque pertinent ad Euripidem et Euripidea, ad huius poëtae indolem eiusque de natura humana cognitionem, ad rem scaenicam et personarum divisionem, ad Aristophanem in Ranis et Phoenissis Euripidem irridentem.

Multa Batavorum nomina honoris causa in commentario leguntur: praeter Grotium, Valckenaerium, Hemsterhusium deinceps nominati et laudati sunt Cobet, Hecker, Hamaker, Pluygers, Camper, Sterk, Bakhuizen van den Brink, Leemans, Peerlkamp, alii.

Eadem suavitas et alacritas sermonis, quae in Olympico, in Phoenissarum commentario inveniuntur; abundat ingenio, delectat tam doctrina quam sollertia.

§ 2. Aequales Geelii, cum populares tum externi, opus eius in universum gratis animis acceperunt.

Id quidem, quod de Geelii Phoenissis scriptum legitur in diario, cui nomen „Algemeene Konst- en Letterbode" [2]), totum imbutum est suavitate illa decocta, qua id temporis scriptores erga viros praestantes utebantur, sed iudicium nullo modo dici potest. Commentarii, qui inscribuntur „de Gids", tacuerunt: Bakhuizen ex peregrinatione nondum redierat. Privati in patria complures iudicium protulerunt, inter quos Karsten et Hamaker [3]).

Ephemerides literariae Gottingenses a. 1847 pauca tantummodo

---

1) Memorabiles sunt maiores annotationes de sculptura (p. 176) et de Plutarchi genere dicendi (p. 214).

2) A. 1847 p. 56—60.

3) Cf. Geelii ad Karstenium datae epistulae, quae asservantur in Bibliotheca Leidensi, et epistulae Geelii ad Hamakerum datae, quae leguntur apud Hamakeram p. 91 sqq.

habent de Phoenissis, plura de Cobeti scholiis manu Schneidewinii scripta: Geelium et Hermannum luctantes Hermanni discipulus [1]) procul spectat.

Geelium Valckenaerio pristinum honorem restituisse censet Hartung in diariis, quae inscribuntur „Philologus" [2]) et „Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft" [3]). In hoc enim legimus: „Die Arbeit des Herrn Geel ist zum Theil den Manen seines berühmten Landsmanns Valckenär gewidmet, indem sie eine Rechtfertigung desselben gegen die ihm von deutschen Philologen, namentlich von G. Hermann, widerfahrenen Ungerechtigkeiten beabsichtigt. Wir theilen mit dem Verf. die Verehrung Valckenär's, glauben, dass Hermann nicht nöthig gehabt hätte, den wohlverdienten Mann so geringschätzig zu behandeln, und finden die Vertheidigung ganz gerecht". Hartungio iudice Geel de Phoenissarum textu quoque bene meritus est: „was für kritik der texte (Euripidis) geschehen ist, davon ist seit vielen jahren das wichtigste J. Geel's ausgabe der Phoenissen. Der verfasser hat die schadhaftigkeit vieler stellen aufgedeckt und, wenn er auch nicht immer glücklich in seinen conjecturen gewesen ist, dennoch einige geheilt e. g. . . . Auch hat er die unächtheit einiger verse zuerst nachgewiesen und die von Valckenär angegriffenen, von anderen aber vertheidigten verse der prüfung unterworfen, welche meistens zu gunsten jenes ausgefallen ist" [4]). Fere eandem sententiam tulit auctor „Euripidis Restituti" [5]) in „Zeitschrift f. d. Alterthumswissenschaft", sed fusius et copiosius, pluribus usus argumentis et documentis.

In diarii, cui nomen est „Wiener Jahr. d. Liter.", vol. 123 [6]),

---

1) Cf. „Briefwisseling van Bakhuizen van den Brink" p. 76, 219, nec non quae Schneidewin Geelio scripsit in epistula, quae in Tabulario Bibliothecae Leidensis asservatur.

2) A. 1847 p. 506.

3) A. 1848 c. 455—465.

4) Diarii, quod inscribitur „Philologus", a. 1847 p. 506.

5) „Euripides restitutus, sive scriptorum Euripidis ingeniique censura", Hamburgi a. 1843. 1844. Geelii de hoc libro iudicium in Sectione I. p. 64 sq. attuli.

6) P. 54—105.

quod inspicere non potui, Kayser Geelii opus vocabulo „meisterhaft" [1]) non indignum iudicavit.

Deinde A. Witzschel in diario, quod inscribitur „Jahrbücher f. Philologie", a. 1849 [2]) iudicium dedit de Cobeti scholiis, in cuius initio legimus: „Geel's Ausgabe der Phönissen (ist) ohne Zweifel die wichtigste und bedeutendste Erscheinung auf dem Gebiete der euripideischen Litteratur in der neuesten Zeit".

L. Mueller [3]) Phoenissas Geelii adeo laudavit, ut Olympici omnino ei in mentem venisse non videatur. Est, ut ita dicam, nimius honor, qui error sine dubio Muelleri festinationi attribuendus est.

Nec non memoria digna sunt quae Meineke Geelio scripsit [4]): „Ihre Bearbeitung der Phönissen hat mir vielfache Belehrung gewährt.... Ihre Ehrerrettung Valckenaers ist mir wie aus der Seele geschrieben".

§ 3. Iam investigemus, quo usque Geel consecutus sit id, quod cupiebat: et Valckenaerium defendere et Phoenissarum textum tutari atque emendare.

Non habebimus autem, ubi consistamus, nisi ante iudicium eius de librorum memoria et de metris cognoverimus.

Facile intellegitur sex annis post editum Olympicum Geelii opinionem de codicibus et de textu constituendo non esse mutatam, quod tamen, quamquam paucis, ipsius verbis demonstrandum videtur. De codicum variis lectionibus Geel haec scribit [5]): „Caeterum poteram augere molem libri lectionibus quatuor codicum.... Praetermisi vero, quod omnes vitiosissime scripti sunt ac deterioris notae. Plerumque conspirant cum aliquo codicum iam collatorum: quid autem attinebat novas corruptelas commemorare, quales sunt...." Auctoritatem codicum Euripide-

1) Vide „Zeitschr. f. d. Alterthumswissenschaft" a. 1848 col. 960.

2) P. 282—286.

3) „Geschichte der klassischen Philologie in den Niederlanden" p. 97.

4) D. 12 m. Iun. a. 1847. (Literae in Tabulario Bibliothecae Leidensis asservantur.)

5) Praef. p. VII.

orum parvi aestimat: „quid nunc"?, scripsit ad vs. 34, „estne codicum Euripidis, quales habemus, maior auctoritas quam traditionis Strabonianae....?" [1]) Post vs. 1381 [2]) Valckenaerium et Hermannum secutus iniuria mihi videtur versum inseruisse, qui deest in Euripidis libris, sed legitur apud Gregorium Nazianzenum: „Gregorii aetas, inquit, longe superat codices quos hodie usurpamus quorumque ne archetypi quidem formam et aetatem coniicere possumus" [3]). Arbitratur „non ponderanda auctoritate codicum colligi posse utra vera sit lectionum..., sed interpretando" [4]); non codicum numero aut pondere, sed sensu dignoscendum esse [5]).

Interpretando lectionem bonam eligit, etiamsi unus tantum codex eam lectionem praebet, nec rogat, utrum sit codex melior an deterior; sic vs. 26 *μέσων* pro *μέσον*, quod ceteri codices habent; vs. 1070 *κυδρή* pro *κλεινή*; vs. 1635 et 1684 etiam lectiones unius tantum codicis praefert, nec tamen in textum recipit.

Si duae lectiones ei aeque esse bonae videntur, ut vs. 1477, ubi Scaliger *Φίλοις*, Valckenaer *Φίλους* legi vult, „plurium codicum consensum sequendum existim(at)" [6]).

Nonnumquam dubitat eiciendusne sit versus an servandus. Ad vs. 27 adscribit: „si fecit hunc versum Euripides, incogitanter scripsit. Amabat etymologias: concedo, et poterat, modo aptius, origini vocabuli Oedipus alludere. Sed licuit eidem omittere: quidni? et gratissima fuit fabro interpol(a)ndi occasio in re tralaticia". Dubitatio hoc loco superat, facit prope cum Valckenaerio, qui versum eicit. Alio loco autem, ad vs. 487, dubitat

---

1) Vs. 34 Phoenissarum apud Strabonem legitur l. XVI. p. 762. Cf. huius Sectionis cap. III.

2) Apud Geelium est vs. 1386.

3) Gregorius l. II. p. 28d haec habet: *κάπροι δ'ὅπως θήγοντες ἀγρίαν γένυν, ὡς ἂν μιμήσωμαί τι τῆς τραγῳδίας, λοξὸν βλεποντες ἐμπύροις τοῖς ὁμμασι συνῆπτον.* Versum *λοξὸν βλέποντες ἐμπύροισιν ὄμμασιν* Valckenaer inseruit; iniuria autem in re ita dubia neglexit omnes Euripidis codices et omisit demonstrare Gregorium traditione nihil passum esse; facio cum iis, qui Euripidis codices sequuntur.

4) Comm. p. 136.

5) Cf. Comm. p. 246.

6) Comm. p. 226.

quidem („nil nisi repetitionem eamque languidam continet"), sed tamen servat: „maneat quod verbosius inculcat Polynices, quibus condicionibus a bello desistere paratus sit". De vs. 946, qui Valckenaerio suspectus est, eodem fere modo dubitat, sed servat. Vss. 1369—1371 acuta disputatione per octo fere paginas menda inesse demonstrat, medelas ingeniosas affert, sed ad extremum: „quibus haec disputatio mea de his tribus versibus non placet, per me licet Valckenaerium sequantur, eosque una litura deleant".

Ex instituto suo rarissime in textum recepit Geel, „quod non haberet aliquam traditionis auctoritatem" [1]). Neque uncis inclusit neque eiecit, ni fallor, ullum versum; qua in re plus peccant Valckenaer et vel recentissimi editores. Ne vs. 1634 quidem expunxit, qui omnium fere editorum consensu reicitur, ut ex Soph. Antig. vs. 29 illatus.

Geelii in re metrica rationes paucis absolvere possum: Hermanni enim hac in re auctoritatem sequitur [2]), laudat identidem eius ingenium et rei metricae peritiam.

Tantum in re metrica ut ita dicam inferiore ab Hermanno differt: velut vs. 312 sq. antistrophae causa Hermann et Geel uterque suo modo mutare student; post vs. 1341 senarium excidisse putat Hermann, Geelio autem alia ratio probabilior videtur: vs. 1343, revera pessimum, expellit.

---

1) Vs. 34 in textum recepit Straboniana *τοὺς τεκόντας* pro *τοὺς φύσαντας* (cf. huius Sectionis p. 121 et cap. III.); vs. 612 pro *οὐ θεμιτόν σοι* suam e coniectura Musgraviana correctionem *οὔ σε θεμιτόν* recepit (Wecklein neglexit Musgravium coniecisse *οὐ θεμιτόν σε*); post vs. 1381 verba *λοξὸν βλέποντες ἐμπύροισιν ὄμμασιν* Valckenaerium secutus inseruit (cf. huius Sectionis p. 121).

2) Praesertim cum Hermanno facit in strophis et antistrophis dividendis, etiam ad vss. 304, 1340, 1485 sqq., quae eius divisiones hodie negleguntur.

CAPUT II.

GEELII DE VALCKENAERII EDITIONE IUDICIUM.

§ 1. His expositis videamus, quo modo Geel Valckenaerium ab accusationibus atque insimulationibus nonnullorum virorum doctorum defenderit. „Deberi enim hoc putabam, inquit, manibus viri, cuius praeter immensas doctrinae copias „egregium ingenium" Hermannus ipse praedicaverat. Multa, fateor, in prima commentatione paulo duriora conscripseram: haec vero δεύτεραι φροντίδες praeciderunt. Etenim in primis cavere volui, ne committerem erga Hermannum, quod hic in Valckenaerio castigando identidem commisit, ut tirones ab illis reconditae doctrinae thesauris repelleret potius, quam doceret quo modo iis utendum sit, salva veneratione quae principibus viris debeatur, et aequa honestaque errorum reprehensione" [1]).

Multum contra Valckenaerium dicere ausi sunt Klotz, Firnhaber [2]), praecipue Hermann, sed Geel nusquam modum excessit: laudat et Valckenaerium, explicata interdum eius sententia, et adversarios eius; saepe adversariorum tantum verba affert, ut ipsi insolentiam suam ante oculos habeant; persaepe autem isdem verbis adversarios perstringit, quibus ipse in Valckenaerium usi erant.

Cuius rationis unum exemplum afferam. Firnhaber oblitus, quid deceret, scripserat: „der Auffassung (Valckenaerii) kann das Prädicat der Plumpheit unmöglich bestritten werden"; quibus Geel haec respondit [3]): „si haec spectant verbum m i n i t a r i, quo usus est Valckenaerius, apparet fugisse Firnhaberum latinum esse: m i n a r i a l i c u i m o r t e m i. e. a f f i r m a r e a l i c u i e u m m o r t e m e f f u g e r e n o n p o s s e.... Sed corrumpi veritatem, non intellectis graecis, quo tandem „praedicato" insigniemus"? De Firnhabero, qui uno tantum alterove loco a Geelio

---

1) Praef. p. VI.

2) „Die Verdächtigungen Euripideischer Verse, beleuchtet und in den Phoenissen und der Medea zurückgewiesen", Lipsiae a. 1840.

3) Comm. p. 196.

affertur [1]), iam tacere licet, sed de Klotzii et Hermanni in Valckenaerium moribus nonnulla dicenda sunt.

Klotz, qui ex Kayseri [2]) et Gloëlii [3]) sententiis non multum profuit Euripidi, in Phoenissarum quoque textu omnibus modis defendendo nonnihil a Valckenaerio discrepat, attamen, quamquam raro, reverentiae Valckenaerio debitae obliviscitur. Quam ob causam Geel eum interdum auriculis prehendit: cuius rei haec quattuor exempla iudicio Geelii addito afferam.

Vs. 86 „Valckenaerius suadebat corrigi χρῆν et βροτῶν (pro χρή et βροτόν), perperam sane utrumque, sed non scripsit, ut narrat Klotzius, miro errore hic et alias ei tribuens quod non commiserat; Valckenaerius rarissime in textum recipiebat, quod non haberet aliquam traditionis auctoritatem".

Vs. 630: „Hic Klotzio quoque accidit ut narraret Valckenaerium „pronuntiasse" hunc versum subditicium esse. Scripserat autem hic in fine notae ad h. l. „Eruditi lectoris optio sit, Euripidine versus inutilis sit attribuendus, an interpolatori; si mihi datur libera optio, posterius elegerim". Eidem videtur Valckenaer „nulla idonea causa motus" hunc versum improbasse". Qua de re Geel postquam copiosius exposuit, hoc colligit: „si scripsit hunc versum Euripides, quid obstat quominus reprehendamus quod imprudenti excidit?"

Vs. 1238: „Miratur Klotzius neminem Valckenaerium „in viam reduxisse". Itaque Valckenaerium in viam reducens, ipse non sine duplici eaque gravi pedis offensione incedit: finxit enim verbum ἐπιρροθεῖσθαι activa potestate, et usus est Thucydidis ver-

---

1) „Lubenter dico (Firnhaberi librum de versibus Euripidis dubiis Phoenissarum et Medeae) mihi prudenter videri et moderate scriptum esse" (Comm. p. 80).

2) „Sonst ist für die verbesserung des textes (Euripidis) in den letzten jahren wenig geschehen. Herr Klotz verhält sich ruhig, und das ist sehr gut" (diarii, cui nomen „Philologus", a. 1847 p. 507). Quibuscum consentiunt quae Meineke d. 12 m. Iun. a. 1847 Geelio scripsit (epistula est in Tabulario Bibl. Leidensis): „Klotz hat die Ehre, von Ihnen berücksichtigt zu werden, kaum verdient. Der Mann ist sehr beschränkt, ein ξύλινος νοῦς".

3) „Klotz (suchte) die Überlieferung um jeden Preis zu halten" (diarii, quod inscribitur „Philologische Wochenschrift", a. 1882 col. 71).

bis (VI. 16) τὰ ἴδια ἐπιβοώμενος, quae (invitus affirmo) non intelligebat, deceptus fortasse ab Lexico Passoviano".

Vs. 1369, qui eicitur a Valckenaerio, defenditur a Klotzio his verbis: „qui fatetur se victoriam nefariam optare, se excusare studet quodammodo, quod petit omnino", in quae Geel solito fortasse durius sed percommode: „ego iam saepe vidi, verbis q u a s i, v e l u t i, q u o d a m m o d o et similibus vectibus maxima difficultatum pondera urgeri posse, non moveri: quare iis diffidere consuevi."

§ 2. Phoenissis edendis Geel praesertim Valckenaerii honorem adversus Hermannum defendere sibi proposuerat. Ex permultis locis nonnullos elegi et partim descripsi.

Vs. 27: „Tantum adscripsit Hermannus hunc primum versum in Phoenissis esse, quem Valckenaerius pro spurio habuerit; satis defensum esse a Porsono. Vellem et Valckenaerii dubitationem et Porsoni defensionem ipse explorasset. Sed Porsonus profecto non longe fuit ab dubitando, qui dixerit: „sane non nimis elegans est versus, neque accuratus"". De quo versu hoc est Geelii iudicium: „si fecit hunc versum Euripides, incogitanter scripsit. Amabat etymologias, concedo, et poterat, modo aptius, origini vocabuli Oedipus alludere. Sed licuit eidem omittere: quidni? et gratissima fuit fabro interpol(a)ndi occasio in re tralaticia" [1]).

Ad vs. 207 arroganter adscripserat Hermann: „ingentem copiam doctrinae profudit Valckenaerius, ut absurdissima interpretum de hoc loco commenta refutaret, non feliciter tamen ipse rem gerens, quum non videret quo vitio haec laborarent. Id est in κατενάσθην; — Sublatum est vitium in edd. Dindorfianis, in quibus ex mea emendatione scriptum est κατενάσθη". In quae Geel iure optimo: „immo quae Valckenaerius copiose disputavit, non huc pertinent, sed ad sequentia, tum amicus Kingii dudum coniecerat κατενάσθη, idque sibi non displicere p e r s p i c u i s verbis dixit Valckenaerius" [2]).

---

1) Cf. huius Sectionis p. 121.

2) In Weckleiniana editione Kingii emendatio κατενάσθη circumfertur.

Eandem Hermanni festinationem videmus ad vs. 428, ad quem Hermann annotat: „Valckenaerius ad doctam de *σύγγαμβρος* et *σύγγαμος* disputationem delatus sui hic dissimilis fuit. Alioquin hunc versum, sicuti Iortinus, ut prorsus ineptum damnasset. Iortino assensi sunt alii, eiecerуntque Brunckius et Porsonus [1]). Ego non eiiciendum, sed emendandum duxi recepto *ἐμοί* (pro *ἐμός*)". Recte Geel: „quid?, minusne ineptus versus est, si pro *ἐμός* scripserit *ἐμοί*? aut non intelligo Hermannum in re satis perspicua, aut poenas dedit indecore reprehensi Valckenaerii".

Ad vs. 486 Hermann haec observat: „non esse Euripideum pronuntiavit (Valckenaer), non animadvertens, si deleatur, turbari cohaerentiam dictorum, deficiente quod respondeat praegresso *μέν*, neque esse quo commode referri possit sequens versus". Subridens Geel: „Quidni Valckenaerio licuit iungere *μὲν* — *καί*, et iam tum scire quae post eum praecepit Hermann ad Viger. p. 841". Mallet autem Geel Valckenaerium iudicasse non tantum hunc versum, sed sequentem quoque inutilem esse mutato vs. 485 *μέν* in *ἐμόν*.

Excepto vs 567, in quo haeserat Valckenaer, utpote „languido et inficeto", de quo tamen Hermann pronuntiat „tantum abesse, ut quidquam in hoc versu languidum aut inficetum sit, ut nihil putandum sit aptius aut fortius dici potuisse", usque ad vs. 968 Valckenaer, — item igitur Geel — otium habuit ab Hermanno. Ibi Hermann pruritu rixandi incitatus: „quid dicamus, quod neque ille tam suspicax Valckenaerius, neque quod sciam quisquam alius hunc et sequentem versum spurios esse iudicavit? Nimirum nullas reperiebant in quibus haererent phraseologicas minutias". „Quid dicamus, inquit Geel, nisi eos satis prudenter de hoc loco iudicavisse, et hunc Hermanni impetum tantum esse, ut exspectes argumenta invicta et summam confidentiam affirmantis: tamen contractis paullum velis sic pergit: „Ego quidem vehementer vereor ne sint ab histrionibus inserti, quo paternus amor Creontis magis eluceret. Certe, si Euripides eos scripsit,

---

1) Iortino auctore hunc versum Wecklein uncis inclusit.

vix aliter defendi possunt, quam ut Creontem dicere putemus, si suam animam Dii accipere velint, sese moriturum". „Recte" — respondit Geel — „et sic eos defendendos puto, eodemque modo intellexit magnus Phraseologista".

Praeter nonnullas procursationes arma quiescunt usque ad vs. 1346, quem versum (*οἴμοι κακῶν δύστηνος· ὦ τάλας ἐγώ*) obelum Valckenaerii effugisse Hermann miratur. Geel opportune: „aut haec non intelligo, aut *ψυχρῶς* illusit eius manibus: prius malim".

Vss. 1369—1371 pervenimus ad tres versus, in quibus obelus Valckenaerianus multos conturbavit; itaque aliquanto fusius de iis disputabo investigaturus, quam Geel methodum sit secutus et in Valckenaerio defendendo et in corruptelis detegendis et in textu emendando. Sunt hi versus:

κἄσχιστον αἰτῶν [1]) *στέφανον, ὁμογενῆ κτανεῖν.*
πολλοῖς δ' ἐπήει δάκρυα τῆς τύχης, ὅση, [2])
κἄβλεψαν ἀλλήλοισι διαδόντες κόρας [2]).

Rectissime Valckenaerium significavisse observat Geel universam huius scaenae adornationem, pugnam singularem, preces utrimque factas ex Homero expressa esse; eum tamen non effugisse hanc Hermanni animadversionem: „lusit (V.) importune copiam memoriae ostentans", cum laudare debuisset Hermann memoriam, quae tam utilia et apta subministravisset. „Expungi, inquit Geel, illos tres versus voluit V.: et primum quidem, quod Polynices sui dissimilis esset (qui causae suae aequitate fretus ad sua repetenda venisset), si nunc dedecori sibi fore victoriam fateretur. Concedit Hermannus, haec addens: „etsi non est ex omni parte verum. Non enim dedeceret Polynicem, nec sui ille

---

1) Αἰτῶν ex libro recentiore a Weckleinio affertur, est etiam Canteri coniectura; reliqui codices exhibent *αἰτῶ*. Participium coniungendum est cum verbo Πολυνείκης (vs. 1364).

2) Vss. 1370 et 1371 a Weckleinio uncis includuntur; vss. 1369—1371 a Valckenaerio; Geel in primo versu coniecit *ἄλγιστον αἰτῶ*; secundum et tertium hoc modo emendavit:

πολλοῖς δ' ἐπήει θαῦμα τῆς εὐχῆς ὅση
κἄκλεψαν ἀλλήλοις διαδιδόντες κόρας.

dissimilis esset, si se turpissimam fateretur victoriam precari, modo adderet, id se invitum et coactum facere". Haec verba si recte interpretor, ratio sic concludenda est: „atqui Polynices ista non addit: ergo sui dissimilis est, unde optime ratiocinatus est Valckenaerius, huiusque conclusio non partim, sed integra admittenda est".

Geel — ita ut Valckenaer — ratus participium, quod est αἰτῶν (vs. 1369), longius remotum esse a subiecto Πολυνείκης (vs. 1364) codicum lectionem αἰτῶ retinet, sed proponit ἄλγιστον pro αἴσχιστον. Αἰτεῖ. Firnhaberi correctionem, ferri non posse censet, cum Euripides valde peccavisset, si nuntium induxisset de solo Polynice acerbissima vituperatione utentem, de precibus vero Eteoclis, non minus crudelibus, quae sequuntur, tacentem. Accedere quod nuntius Athenis alios auditores habuerit quam Polynices, cum illa precaretur.

Ἄλγιστον in proximum versum recepto Geel iudicat lacrimas certe habere, „quo excusarentur, nisi obstaret explicari non posse cur affectus iste significetur post Polynicis precationem, non vero post Eteoclis".

Vs. 1370 Valckenaerio spurius esse propter verba ἐπῄει δάκρυα et omnino sententia carere visus est. Hermann eum fraudis accusavit („hoc vero est fraudem imperitis facere") et quaesivit: „quae ista ars aut disciplina sit critici, quae prius expellat verba, quam viderit, num sana sint an corrupta?" Geel eum infecta re abire his verbis iubet: „nihilne umquam simile contra disciplinae illius leges peccavit Hermannus? Correxit autem: τῆς εὐχῆς ὅση. Quis dicat Valckenaerium non praevidisse se vapulaturum ob „pruritum corrigendi", si quid in istis verbis mutaret? Sed correctio Hermanni, ingeniosa et probabilis et cuius praestantiam Klotzius non sentiebat, haudquaquam tangit dubitationem Valckenaerii".

Hanc ob causam Geel accepto Hermanni invento εὐχῆς, „quo preces in sedem suam reducuntur", pro δάκρυα, „quae hunc locum foedant", θαῦμα proposuit, itaque legit πολλοῖς δ᾽ ἐπῄει θαῦμα τῆς εὐχῆς ὅση: „id est (ne quis in ὅση haereat, οἷα exspectans) ὅσον

κακὸν εὔχετο". Etiam propter ὅση Geel θαῦμα excogitavit, non enim Graecum esse δακρύω ὅση ἐστὶν ἡ τύχη, „cum in istis locutionibus requiratur verbum cogitandi, observandi, mirandi, indignandi". Itaque iudicat prorsus errasse Klotzium, qui lectionem codicum defendisset hoc exemplo allato: ὁρᾷς, 'Οδυσσεῦ, τὴν θεῶν ἰσχὺν ὅση.

Restat versus 1371, in quo „Hermannum piget Valckenaerii argutiarum" de verbo διαδόντες. Enumeraverat Hermann versus Euripidis, in quibus κόραι dicerentur διαφέρεσθαι vel διαδίδοσθαι. „Quid iuvabunt?" — ita Geel — „dubitavitne quisquam dicere: oculos huc vel illuc vertere? et tamen rogat (H.): „si illa dixit Euripides, non licuerit ei dicere: διαδόντες ἀλλήλοις κόρας?" Minime, aliud enim est oculos aliquo vertere, aliud oculos sibi invicem tradere". Si vero κόραι sumerentur pro nutu, quid esse absolute dictum illud κἄβλεψαν? „An oculos clausos habebant, priusquam sibi hos invicem traderent? aut non requiritur praepos. εἰς vel πρός, aut omnino ferri potest otiosum verbum videndi, quasi in oratione soluta dicas: ἔτυψαν ἀλλήλοις ἐμβάλλοντες πληγάς? Non latebat, opinor, Poetam, mutuum eiusmodi adspectum admirantium esse et tacite indignantium, non dolentium oculis lacrymosis. Ita fert natura humana, cuius observationem raro omittebat Euripides, quidquid in aliis nonnumquam peccaret. Quapropter malim nihil fere mutans restituere κἄκλεψαν". Pro διαδόντες requirit Geel διαδιδόντες, quod, ut Wecklein in calce habet, in aliquot codicibus legitur: „qua lectione recepta, versus quidem minus numerose procedit, eodem tamen sono quo permulti in Euripide, veluti ...." Hanc versus formam, igitur Geel proposuit: κἄβλεψαν ἀλλήλοις διαδιδόντες κόρας.

Ad extremum legimus: „quibus haec disputatio mea de his tribus versibus non placet, per me licet Valckenaerium sequantur, eosque una litura deleant". Non in appendice mea quidem opinione, sed in calce apud Weckleinium debebant esse illae Geelii coniecturae.

Nonnulla ab Hermanno in Valckenaerium non minus acerbe atque

iniuste dicta praetermitto; sic ad vs. 1397: „quod Valckenaerius commentus est, id ita est inventum, ut isto modo vel absurdissima quaevis defendi possint"; ad vs. 1581: „hic ordo verborum Valckenaerio contorta amanti placuit". Merito talia a Geelio castigantur.

Vs. 1628 Hermann a contumelia in Valckenaerium abstinere non potuit, haec scribens: „non credo Valckenaerium fallere lectorem voluisse, sed fefellisse se ipsum, dum phrases solas captat". De quo Geel: „haec scilicet respiciunt notam, in qua nihil nisi cum delectu et κριτικῶς scriptum est: paulo plenius, concedo, quam hodie solent, quos pudet paratam doctrinam e lexicis et iudicibus haurire". Hermanno id temporis sine dubio aliqua de causa stomachus motus erat, nam hoc loco ex Porsoni quoque argumentis unum falsum dicit, reliqua levia; subita viri morositas Geelio nimirum risum movit.

Vs. 1634 proscriptum ab omnibus inde a Valckenaerio denuo reiecerat Hermannus, de quo Geel urbane: „cum Valckenaerio ita penitus consensit et coaluit Hermannus, ut nomen primi monitoris commemorare omiserit".

Ad vs. 1639 Geel non potuit quin scriberet: „si scripsisset Valckenaerius (quod Schaefer scripsit, qui ab Hermanno laudatur), audiret „phrasium captator" ".

In Phoenissarum fine Hermann in Valckenaerium vehementer saeviit.

Vs. 1694, qui nunc in editione Weckleiniana ex Schmidtii correctione legitur: ἰδοῦ, παρειᾶς φιλτάτης ψαῦσον χερί in codicibus pro παρειᾶς habet γεραιᾶς et in recentioribus libris pro φιλτάτης dativum φιλτάτῃ. Valkenaer pro γεραιᾶς legi vult γεραιᾷ. Porson usurpat φιλτάτῃ pro φιλτάτης, de quo Hermann scripsit: „Plurimi codices φιλτάτῃ, quod recepit Porsonus, saniore iudicio quam Valckenaerius, cui libitum est dicere: „anum carissimam nemo graece dixerit γεραιὰν φιλτάτην" ...: illud autem, γεραιᾶς φιλτάτης, dictum est rectissime et aptissime. Sed nimirum Valckenaerius nolebat meminisse, γεραιός et γεραιά pro substantivis usurpari". „Non diiudicabo, inquit Geel, utrius iudicium sanius fuerit, Por-

soni an Valckenaerii, sed contendo id quod hic nunc scripsit sanius esse Porsoniano: in illa enim sententia et actione convenit ut omnis affectus et commiserationis significatio Iocastae vindicetur: quod non codicum numero aut pondere, sed sensu dignoscitur, qui si me non omnino fallit, φιλτάτῃ ineptum esse iure affirmo Hinc sequitur non male Valckenaerium γεραιᾷ scriptum voluisse. Sed quis affirmet, praeter Hermannum, eum aliquid „recordari noluisse?" Hoc dissimulationis crimen est, pravissimae illius vel in minimis rebus, siquidem quod verum est confiteri oportet. Non cadebat tale vitium in illam indolem: et profecto bonus Valckenaerius non poterat meminisse, quae nesciebat: etenim scire non potuit γεραιός et γεραιά pro substantivis usurpari, nempe non addita cautione „in vocativo casu". Concedit Geel afferri posse nonnulla exempla, ubi in alio quoque casu pro substantivis inveniantur, eadem vero perperam explicari sibi persuadet. Hoc versu putat aut cum Valckenaerio corrigendum γεραιᾷ, aut γεραιᾶς iungendum esse cum praecedente μητρός, quod mavult, „quoniam omne manus Oedipi epitheton hoc loco otiosum est".

Mea quidem sententia Hartungii iudicio consentiendum est „dass Hermann nicht nöthig gehabt hätte, den wohlverdienten Mann (sc. Valckenaerium) so geringschätzig zu behandeln" [1]). Sed impetum in Valckenaerium factum Geel feliciter propulsavit.

Exspectaverat — apparet ex epistula ad Hamakerum data [2]) — Hermannum iratum fore. Quae opinio eum fefellit, nam Lipsia

1) In diario, cui nomen est: „Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft", a. 1848 col. 456 (cf. huius Sectionis p. 119 sq.).

2) „Uit Bonn schrijft mij (de Phoenissarum editione agit) een der dasige(n) Herren: „es ist misslich, wenn jemand in irgend einem Fache von Wissenschaft zur Dictatur gekommen ist", deze schijnt dus geen middel te zien om Hermann te redden. Wij zullen zien of deze zelf boos wordt, of het gemakkelijker vinden zal mij te verachten; intusschen drukt Cobet zijne noten op zijn Oratie, waarin Hermann en anderen er erbarmelijk afkomen. Hij is jonger dan ik, en ik laat hem maar hakken, dat de lappen er afvliegen". (Disp. Lit. Hamakerae p. 94.)

venit epistula suavissima d. 3 m. Iun. a. 1847 data [1]), in qua haec sunt: „Quod mihi editas a te Euripidis Phoenissas misisti, Iacobe Geeli, instantissime, non solum maximas gratias ago, sed etiam valde gaudeo, qui eo intelligere videar, te mihi, si adversarium, at bene volentem adversarium exstitisse [2]). Legi ego non sine fructu acutissimas doctissimasque adnotationes, quibus te vindicem praebuisti Valckenaerii, de quo quae ego dixi si tibi vel alii tuorum popularium mala mente aut obtrectandi caussa dixisse videor, profecto non nostis quam id a meo animo alienum sit. Sed ut ipse semper defendi quod verum, vituperavi quod falsum esse crederem, ita iniquus essem si aliis non idem licitum putarem. Immo multo pluris facio ingenuam reprehensionem, qua aliquid discam, quam serviles laudes, quibus erubescam. Quin paene malo reprehendi, qui videam quam laudari facile sit. Veritatem omnes quaerimus, sed ea saepe caput inter nubila condit, neque aut omnibus aut uni semper apparet. Quare monstranti gratiam habere oportet, monstratamque utcumque, accipere. Ita quis non maximo cum gaudio amplectatur, quod v. 522 palmaria emendatione restituisti μαθήσομαι? Sed quum in hoc genere litterarum etiam quaedam ambigua sint, disputarique in utramque partem possint, dabis mihi hoc, spero, Geeli, vir eruditissime, ut me, si id agere vellem, habiturum credas, quod ad quaedam

1) Asservatur in Bibliotheca Leidensi.

2) Geelium non benevolo animo in Hermannum fuisse apparet ex iis, quae Hamakero a. 1844 scripsit (cf. Disp. Lit. Hamakerae p. 90): „Voor Godfried van Leipzig ligt een roê in de p —. Die rekel mishandelt Valckenaer ad Phoenissas zoo erg, dat ik het niet langer uithouden kan". Duobus annis post (l.l. p. 93): „(ik) heb soms lust gehad om Hermann of een lompigheid naar den kop te gooijen of hem iets fijner voor den gek te houden. Ik gevoelde dat dit niet goed was, maar de overwinning van mijzelve was moeijelijk." Aliter cogitabat Bakhuizen, qui Bakio scripsit (cf. „Briefwisseling" p. 219): „Hoe gaat het met de oorlogsverklaring van prof. Geel aan Hermann? De laatste heeft voorzeker verdiend, wat hem prof. Geel toedenkt. En toch spijt het mij om de persoonlijkheid van Hermann. Op mijne laatste reize door Leipzig ontving hij mij reeds voor de tweede maal met meer dan vriendelijkheid.... Hij was met Holland en de Hollandsche philologie en namelijk ook met prof. Geel regt ingenomen". L.l. p. 275: „Prof. Geels Phoenissae heb ik nog niet gezien — 't boek spijt mij bijna als een strijdschrift tegen den ouden Hermann". Cf. etiam „Briefwisseling" p. 76.

eorum, quae a te dicta sunt, responderem. Verum id facere nolo, ne me aut ingratum aut pertinacem aut ex eorum numero esse putes, qui contradicentem ferre nequeant. Immo sic rogo existimes, optare me ut te, quem ut virum et humanissimum et doctissimum et de litteris antiquis meritissimum ex animo veneror, non inimicum habeam. Ac fortasse, si mihi annum agenti quintum et septuagesimum aliquid spei relictum est, etiam vivo continget a Batavis, quod olim contigit a Britannis, ut deponerent simultates qua(s) me aequo animo ferre viderent....".

§ 3. Facile intellegitur Geelium non semper Valckenaerii partes sequi, quin etiam cum Hermanno interdum contra Valckenaerium facere, imprimis in re metrica, ubi Valckenaer omnino ab eo neglegitur. Loci, quibus Geel contra Valckenaerium cum Hermanno consentiat, pauci sunt et omnes minoris momenti; attamen nonnullos enumerabo: vs. 50 („doctius vocabulum raro vulgari substitui(tur)"), vs. 344, vs. 403 (quo loco Geel et aliis argumentis nititur et eodem, quo usus erat Hermann, cuius tamen — contra morem suum — nomen non affert), vs. 474, vs. 1305 („*φάος* per se positum numquam significa(t) hodiernum diem aut praesens tempus"), vs. 1317. His locis adiungam eos, quibus Geel ipse suis argumentis Valckenaerii opinionem oppugnavit. Neque hi sunt multi. Afferam quinque, quos alicuius momenti puto.

Vs. 184 Weckleiniana editio Valckenaerium secuta ex scholio sumpsit *μεγαληγορίαν*, Geel autem librorum lectionem *μεγαλανορίαν* defendit: *μεγαλανορίαν* hoc loco non esse magniloquentiam, sed magnum quid faciendi nimiam cupidinem, cui *ὑπεράνωρ* pulchre adiciatur; insolentius vocabulum a librario pro magis vulgari positum esse non esse verisimile. Vs. 946 suspectus fuit Valckenaerio; „si abesset, inquit Geel, versus, cogitando suppleri deberent quae nunc explicandi causa addit Vates.... Maneat versus, qui si intercidisset, non desideraretur" [1]). Vs. 998 Barnesii

---

1) Hunc versum iam attuli p. 122. Weckleinio quoque est suspectus. Minime

coniectura ὑπερθανών pro ὑπερθανεῖν Valckenaerio non aspernanda videbatur; quod iudicium ex Geelii sententia non merebatur, nam „haec non epexegesis sunt priorum ψυχήν τε δώσω, sed consilium indicant". Vs. 1133 Valckenaerii obelo expunctus Geelio non inelegans videtur, „licet supervacua sit sententia". Ad verba καί πως νοήσας Ἐ. (vs. 1407) Geel adscripsit: „continet πως coniecturam nuncii, Eteoclem hunc dolum in Thessalia didicisse: unde κεῦ πως, Valckenaerii suspicio, recusari debet".

CAPUT III.

LANX SATURA VARIARUM GEELII OBSERVATIONUM.

Restat, ut de nonnullis Phoenissarum locis agam, ubi Geel iure aut iniuria menda subesse putat, nec non quales ille medelas proposuerit, exemplis aliquot illustrare coner. Qua in lance etiam offeram nonnullas varias eiusdem observationes. Etenim non solum ut Valckenaerii editionem defenderet, sed etiam ut textum stabiliret et emendaret, Geel Phoenissas denuo edidit [1]). Suis locis de vss. 1115—1118 et vss. 1182—1186, de quibus Reinwardtio scripsit, fusius tractabo.

Vs. 34 iniuria, ut mihi quidem videtur, Geel in textum quoque e Strabone recepit lectionem, quae est τεκόντας. Verisimile enim est Strabonem memoriter locum reddidisse: omnes Euripidis codices habent φύσαντας. Valckenaerio auctore contendit Geel Euripidem ubique usurpare pro p a r e n t e s: οἱ τεκόντες; attamen tres [2]) locos descripsit, ubi idem Euripides utitur verbo, quod est φύω vel ἐκφύω. Mutatis mutandis Geelii verba: „Quid nunc? estne codicum Euripidis, quales habemus, maior auctoritas quam

perlucida est Geelii argumentatio: si abesset versus — suppleri deberet; si intercidisset — non desideraretur. „Quandoque bonus dormitat Homerus".

1) Cf. p. 116 huius Sectionis.

2) Alia exempla affert Musgravii ad Euripidem Index (Lipsiae ed. a. 1788).

traditionis Strabonianae?" in eum converti sic possunt: estne codicum Euripidis *minor* auctoritas quam traditionis Strabonianae? Quam ob rem mutarent librarii τεκόντας in φύσαντας?

Vss. 209—211 verborum, quae sunt περιρρύτων ὑπὲρ ἀκαρπίστων πεδίων Σικελίας probat Geel hanc significationem: (venti, qui veniunt a parte) circumfluorum Siciliae camporum, qui fatigari non possunt. „Recte, inquit, conferretur Homericum θάλασσα ἀτρύγετος, si Euripides *maris* vel *salis* nomen addidisset, quod, nisi me memoria fallit, numquam omiserunt veteres in hac metaphora: quamquam analogia non impedit quominus περιρρύτων intelligas *circumfluentium*, tamen usus voluit ut esset *circumfluorum* i. e. quae a fluctibus circumdantur: tum *campi steriles qui Siciliam circumfluunt* non audacia est, sed temeritas dicendi. Quidni eonfugiamus ad multo simpliciorem interpretationem, quam alia explicatio adiectivi ἀκαρπίστων suppeditat? Scilicet quum καρπίζειν non tantum sit *terram fertilem reddere*, sed καρπίζεσθαι γῆν *fruges demetere et terram crebra satione exhaurire*, Sicilia dici potuit ἀκάρπιστος, id est, tanta fertilitate ut semper fruges ferret, nec plane fatigari posset; quam Sophocleis verbis dixeris γᾶν ἄφθιτον ἀκαμάταν? Si ἀφύλακτον, a forma media, est *quod caveri nequit*, aliaque verba eandem analogiam sequuntur, cur minus ἀκάρπιστος?" Hoc unum fugisse virum doctum videtur, quod si intellegimus ἀκάρπιστα πεδία: quae serendo et demetendo fatigari nequeunt, ipsa fatigandi vel exhauriendi notio aliunde introducitur. Ἀκάρπιστον, si ab activa forma καρπίζειν derivaveris, erit: quod fertile reddi non potest; sin a medio καρπίζεσθαι: ex quo nullae fruges percipiuntur, ut ἀκάρπωτος.

Vs. 370 defendit Musgravii emendationem νᾶμ' pro ὄμμ' in hisce verbis: ξένην πόλιν ναίω (sc. Polynices), δι' ὄσσων ὄμμ' ἔχων δακρυρροοῦν, neque tamen in textum recepit, quod editores posteriores fecerunt. Scribit Valckenaerium, qui δι' ὄσσων corruptum esse putavisset, coniecturas „incassum tenta(sse)"; Hermannum et Klotzium emendationem νᾶμ' sprevisse, non satis attendentes

ὄμμα δακρυόεν non idem esse atque ὄμμα δακρυρροοῦν: „si quidem, inquit, o c u l u s dici potest lacrymas fundere, minime vero eius s p e c t i o: unde sequi puto, in vulg. lectione ὄμμα tamen esse oculum, quod ipsi huius lectionis defensores iure suo admittere nolunt. Difficile sane ad distinguendum est in multis locis poetarum, sitne ὄμμα o c u l u s an s p e c t i o; sed nusquam credo hac potestate esse, nisi obtutus aliquo dirigi aut dicatur aut intelligatur. Denique hoc attendi velim, verbis νᾶμ' ἔχων δακρυρροοῦν accurate significari perennem lacrymarum fontem ex perpetuo desiderio, quod haud ineptum est in casu Polynicis, qui si diceret: p a t r i a m d e s i d e r a n s i n p e r e g r i n a u r b e m o r o r c u m l a c r y m o s a s p e c t i o n e, non nimis eleganter loqueretur".

Vs. 395 ἀλλ' ἐς τὸ κέρδος παρὰ φύσιν δουλευτέον tutatus est a Porsono et Hermanno, quibus Plutarchi et Luciani lectio ὅπου τὸ κέρδος placuit: „apud Plutarchum in Demetrio p. 895a Antigonus filio aetate provectiorem uxorem ducere recusanti in aurem dixisse fertur: ὅπου τὸ κέρδος, παρὰ φύσιν γαμητέον, dupliciter παρῳδῶν versum Euripideum.... Potuit autem, ut saepe factum esse scimus, versus ab eo inde tempore ea forma, qua pronuntiaverat Antigonus, in ore hominum versari, ita ut postremum tamen vocabulum occasioni aptarent. Itaque quum Lucianus in Apol. c. 3 citaret ὅπου τὸ κέρδος, παρὰ φύσιν δουλευτέον, reprehendens ἀγενέστατον ἰαμβεῖον, Euripidis quidem meminit, sed versus initium proverbio accommodavit. In ore denique Polynicis ἀλλ' εἰς efficacius occurrit matris verbis: καὶ τοῦτο λυπρόν".

Vs. 433 sq. in verbis θεοὺς δ' ἐπώμοσ' (sc. Polynices) ὡς ἀκουσίως τοῖς φιλτάτοις τοκεῦσιν ἤράμην δόρυ pro τοκεῦσιν (aut γονεῦσιν [1])) scholiastes veterem lectionem ἑκοῦσιν servavit, quod in Geelii et Weckleinii editionibus in textu quoque legitur. Valckenaer in textu quidem habet τοκεῦσιν, attamen in annotatione firmissimis argumentis demonstrat ἑκοῦσιν (mavult γ' ἑκοῦσιν) legendum esse.

1) Vide Valckenaerium, Hermannum, Klotzium, Geelium; Wecklein eam lectionem neglexit.

Non ita Klotz et Hermann, quorum hic ἥκουσιν scripsit, ille codicum lectionem defendere conatus est. Klotzii causa Geel exponit exquisitam lectionem ἑκοῦσιν errore abisse in τεκοῦσιν et hoc, ut fit, in τοκεῦσιν. „Klotzius, inquit, corruptelae progressionem perperam invertit, quin varietatem ἑκοῦσιν nihili esse confirmat, hoc argumento usus, quod in scholio cod. Aug. pro varia lectione affertur τεκοῦσιν: scilicet (hoc enim complementum omisit Klotzius) γράφεται καὶ τεκοῦσιν, ἵν' ᾖ, τῷ ἀδελφῷ μου: unde sequitur petere Klotzium auctoritatem ab Scholiasta qui narraverit perinde esse p a r e n t e s dicas, an f r a t r e m. Haec conclusio, ut spero, absterrebit virum doctissimum. Qui τοκεῦσιν recipiunt, sic ratiocinantur: „quum Iocasta et Oedipus cives et incolae essent Thebarum, quodam modo etiam contra hos arma ferre videbatur Polynices" [1]). Haud satis firmae sunt interpretationes quae debili isto „quodam modo" [2]) sustentantur".

Deinde Geel accuratius de ἑκοῦσιν exponit; putat „adeo necessarium esse ut dicat Polynices se invitum bellum inferre fratri v o l e n t i..., ut omittere in hac obtestatione factique sui excusatione non possit". Hermann autem excogitaverat et scripserat: τοῖς φιλτάτοις ἥκουσιν. Primum Geel significat sententiam hoc modo obscuram evadere, deinde opus esse exemplis, „quibus confirmetur οἱ φίλτατοι ἥκοντες, non addito dativo pronominis, esse i i q u i m i h i c a r i s u n t", postremo argute: „lectores velim diiudicent uter argutatus sit et „corrigendi libidini" indulserit, Valckenaerius an Hermannus, sic scribens: „„Falsa manet sententia, sive τοκεῦσιν vel γονεῦσιν, sive ἑκοῦσιν scribatur. Nam nec parentibus, sed fratri bellum infert Polynices, nec volenti fratri, sed facile passuro, si in pace regnare possit. Omninoque volenti an nolenti bellum inferatur, nunc non quaeritur, sed hoc tantum dicere debet Polynices, se arma invitum cepisse"".

Recte observavit Hartung [3]) de his Geelii argumentis: „hier

1) Sunt Klotzii verba p. 83.

2) Cf. quae de Klotzio attuli p. 124 sq.

3) In diario, cui nomen est „Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft", a. 1848 col. 459.

werden wiederum Valkenär und die herrliche Lesart ἑκοῦσιν sehr trefflich gegen Klotz und Hermann gerechtfertigt. Eteokles hat durch die Ungerechtigkeit gegen seinen Bruder den Krieg muthwillig veranlasst: diess besagt der Ausdruck ἑκοῦσιν in sehr schonender Weise".

Vs. 519 sq.: ἐκεῖνο δ' οὐχ ἑκὼν μεθήσομαι.
ἄρχειν παρόν μοι, τῷδε δουλεύσω ποτε;

Codex E pro δουλεύσω habet δουλεῦσαι. Kirchhoff delevit vs. 520, quem secutus est Wecklein. Geel autem emendatione me iudice pulcherrima μαθήσομαι (simul mutato δουλεύσω in δουλεῦσαι) vs. 520 quoque servavit. Hartung [1]) μαθήσομαι infelicem dicit Geelii emendationem, „bei welcher das dabei stehende ἑκών nicht von ihm beachtet worden ist". Non intellego. Recepta enim emendatione verborum sententia, quam Geel descripsit, haec est: „non tam docilis sum ut servire lubenter discere velim, quum regnare possim". Si punctum maneret post μεθήσομαι, vs. 520 esset interrogatio, sed propter ea, quae vs. 521 sqq. sequantur (πρὸς ταῦτ' ἴτω μὲν πῦρ, ἴτω δὲ φάσγανα . . . , ὡς οὐ παρήσω τῷδ' ἐμὴν τυραννίδα) requiri affirmandi formam rectissime Geel observavit.

Hac annotatione facete illuditur Hermann, qui „in omni illa praeceptione sensisse videtur, difficile esse exitum reperire argutae disputationis". Erat disputatio de discrimine, quod esset inter μεθίεσθαί τι et μεθίεσθαί τινος, de quo Geel: „quid igitur lucramur, nisi fortasse hoc, σφαῖραν μεθίεσθαι esse: globum, quem manu totum comprehendimus, dimittere; σφαίρας μεθίεσθαι vero: globum, cuius tantum partem tenemus, dimittere?"

Vs. 578 legit ὑπεκδράμῃ [2]). Docet apud Euripidem ὑπεκδραμεῖν esse: evadere, effugere; ὑπερδραμεῖν: superare. Priorem significa-

---

1) l.l. col. 460. K. Busche contra in diario, cui nomen est „Berliner Philologische Wochenschrift", a. 1901 col. 1284 haec scripsit: „vs. 519 wird doch wohl, wenn man mit W(ecklein) den folgenden Vers streicht und nicht mit Geel und Nauck μαθήσομαι — δουλεῦσαι schreibt, ἐκείνου f. ἐκεῖνο einzusetzen sein". Praeter Nauckium etiam Hermann (cf. huius Sectionis p. 132) cum Geelio fecit.

2) Libri, qui Geelio noti erant, praebent: ὑπεκδράμῃ. Canteri aut Grotii coniectura, quae est ὑπερδράμῃ, invenitur in codice G et sic legisse scholiastam patet ex interpretatione eius: ὑπέρτερα γένηται. Praeter Geelianam editiones omnes, ni fallor, recte praebent ὑπερδράμῃ.

tionem hoc loco aptiorem esse putat, „nam vel hoc verbo solo Iocasta ostendit, quod haud semel manifestum facit, sibi Polynicis causam potiorem videri"; reicit itaque coniecturam ὑπερδράμῃ.

Ad vs. 585 adscribit Iocastam non hoc voluisse dicere, malum esse turpissimum, sed inimicissimum; igitur ἔχθιστον praeferendum esse alteri lectioni, quae est αἴσχιστον.

Ad vs. 591 Klotzii causa, qui praetulerat lectionem σκῆπτρα κρατοῦντα, monet „κρατεῖν τι semper esse: a l i q u i d t e n e r e, sed consta(re) κρατεῖν τινος nonnumquam eandem habere potestatem quam ipsum Latinum p o t i r i habet i. e. i t a p o t i t u m e s s e, u t t e n e a s, p o s s i d e a s".

Vs. 739 Geel Klotzio, qui hunc versum cum vs. 737 coniungendum esse putat, respondet: „hoc vero longe alienum est ab Euripidea stichomythiae lege, qua interruptus alicuius sermo tum continuari solet quum interiectus versus plenam sententiam continet, quae alterius interlocutoris responsionem non requirat", atque iungit προσκεῖσθαι cum προστετάχθαι (vs. 738), quo facto sententia haec fit: „turmis praeesse, quibuscum septem portas adoriantur".

Vs. 821: (δράκοντος) γένυος ὀδοντοφυῆ, Θήβαις κάλλιστον ὄνειδος. Κάλλιστον ὄνειδος proverbii loco esse putat; aliis locis allatis probat „dubitari non posse, quin apud Graecos in ore habuerit καλὸν ὄνειδος is qui convicium refelleret rei quam sibi potius honori duceret". Eodem modo ὄνειδος aliis locis apud tragicos interpretatur.

Vs. 943 Geelio suspectus est („fortasse hic versus Euripideus fuit in alia eius Fabula, et ab sedulo lectore huc insertus est"), quamquam „sentit arma peti posse ad tuendam huius versus γνησιότητα", quod omnia, quae nunc ignoramus (de Creontis filiorumque eius origine) Euripidi ex traditione fortasse cognita fuerint". Iure nemo, quod sciam, Geelium secutus est.

Et vs. 1070 et 1075 ex duabus codicum lectionibus, quarum utraque ferri potest, utra eligenda sit, quaeritur. Vs. 1070 Geel ex nonnullis libris pro κλεινή scripsit κυδρή, „quamquam Hermanno hoc adiectivum magis Homericum quam tragicum vide(ba)tur", hoc praecipue argumento innixus, quod „Tragici nonnum-

quam nuntiis sermonem epicum tribu(a)nt (et) vix intelligi po(ssi)t, qui librario exquisitius vocabulum pro vulgari in mentem venerit". Vs. 1075 contra scripsit futurum *ἀγγελῶν* obtemperans „plurium codicum suffragiis". Attulerat quidem Valckenaer ex Euripide exempla futuri post verba v e n i e n d i, sed contraria nonnulla admoverat Markland.

Pervenimus ad vss. 1114—1118, de quibus, ut de vss. 1182—1186, fusius disputandum est.

(Ἱππομέδων) *ἔστειχ' ἔχων σημεῖον ἐν μέσῳ σάκει*
στικτοῖς Πανόπτην ὄμμασιν δεδορκότα,
τὰ μὲν σὺν ἄστρων ἐπιτολαῖσιν ὄμματα
βλέποντα, τὰ δὲ κρύπτοντα δυνόντων μέτα,
ὡς ὕστερον θανόντος εἰσορᾶν πάρα.

Hermann censuerat post vs. 1115 versum desiderari, quem huiusmodi fuisse suspicatus erat: *τῆς Ἰνάχου κύν' Ἄργον Ἀργείας βοός*, „nam quid est, inquit, quod Argus simpliciter *πανόπτης* vocatur, quem oportebat suo nomine vocari? Nullus id alius scriptor fecit". Non credit Geel id oportuisse „nec necessarium fuisse in fabula cognita, praesertim adiunctis verbis *στικτοῖς ὄμμασιν*, reliquisque quae post vs. 1115 sequuntur: quibus cautum fuit ne confunderetur vel cum Iove, vel cum Sole. Praeterea non inauditum est epitheton loco nominis poni". Cuius rei iam p. 148 exempla attulerat, quibus hoc loco addit testimonium Panofkae [1]) de Panopta („prope caput Argi literas esse, quas sive ΠΟΝΑΠ sive ΠΑΝΟΠ legas, nihil nominis adiunctum habent") et Leemansii, qui Geelio consulenti confirmaverat consuetudinem fuisse artificum, ut in huiusmodi inscriptionibus cognomen aliquod celebre ponerent sine nomine. Quod licuerit artificibus, id etiam poetis licuisse arbitratur.

Sequitur annotatio docta de Argo aut sub canis forma aut cum cane comite depicto. Argus canis Ius custos ei videtur esse commentum enarratorum, qui nescio quomodo Ulixis canem Argum cum Panopta confuderint.

---

1) Cf. Comm. Acad. Berol. a. 1838.

Remoto cane Geel vaccam introducit, „quod ratio excogitari nequ(ea)t cur Euripides finxerit Panoptam solum sine vacca, quam custodiret". Concedit ille quidem Hermanno versum deficere videri. Collatis his verbis ex scholio *σημεῖον στικτὸν ἔφερε* (sc. Hippomedon) *τῆς Ἀργείας βοὸς φύλακα* et ex Aeschyli Suppl. vs. 299 *τὸν πάνθ' ὁρῶντα φύλακ' ἐπέστησεν βοΐ* his finibus eum versum fuisse arbitratur: *φύλακα — Ἀργείας βοός.*

Ea pars argumentationis, quae attinet ad Hermannum, sine ullo dubio magis firmata ac stabilita est quam illa coniectura ad libidinem facta.

In interpretandis duobus versibus, qui sequuntur, ab Hermanno discrepat: putat enim eos pertinere ad Argi imaginem in scuto descriptam, cum Hermann de ipso Argo vivo et videnti aliquid praedicari his versibus voluisset. Hic enim recte dixerat: „eam imaginem talem fuisse necesse est, ut per totum corpus alii oculi clausi, alii aperti cernerentur", minus recte tamen addiderat: „idque cur ita pictum esset ut declararet Poeta, adiecit illud, aliis Argum oculis noctu, aliis interdiu esse usum". Contra Geel: „quomodo tandem Poeta id quod Hermannus coniicit significare potuisset? Hoc certe vereor ne non lucremur mutando *βλέποντα* in *κλείοντα*, quod suasit Seidlerus, scripsitque Hermannus. Sunt enim aut otiosa verba *σὺν ἄστρων ἐπιτολαῖσιν* et *δυνόντων μέτα*, aut aliquid significant: sumto autem, ut par est, aliquid significare et consulto scripta esse, necesse est ut relata sint ad imaginem Panoptae: itaque imago illa altero corporis latere orientem, altero occidentem spectabat: aliter enim neque artifex indicare, neque spectator discernere poterat quinam oculi interdiu viderent, et sic porro. Hinc sequi videtur, admisso *κλείοντα* vigilem illum omnes oculos clausos habiturum".

Hartung [1]) omnia plana fore spoponderat recepta lectione in scholio codicis August. latente: *πίπτοντα* pro vulg. *κρύπτοντα*. „Quid, inquit Geel, *πίπτον ὄμμα* sit eius qui non una cum stellis cadat, non explicuit, neque explicuerat Valckenaerius: praetu-

1) „Euripidis restituti" vol. II. p. 460.

leris saltem μύοντα". Idem Hartung cum aliis interpretibus ὄμματα habuit pro nominativo, quo constructionem iusto impeditiorem admisisse Geelio videtur; omnino requiri, ut ὄμματα sit accusativus pendens a κρύπτοντα et a participio alterius verbi, cuius locum occupaverit βλέποντα. Legi enim vult οἴγοντα vel δεικνύντα, vel aliud, quod eandem habeat sententiam.

Iis, qui cum Bergkio [1]) hos versus delere velint, suadet, „ut videant ne alios versus pro expunctis fabricari oporteat". Non enim credibile esse in reliquarum descriptionum ornatu, Argum ab Euripide parum laute excultum esse.

Versum denique 1118 ὡς ὕστερον θανόντος εἰσορᾶν παρῆν cum Valckenaerio insulsum iudicat: aut curiosum aliquem lectorem peccavisse interpolando aut Euripidem dormitavisse. Hermanno et Firnhabero hunc versum contra Valckenaerium defendentibus respondet: „ubinam, quaeso, narratur Hippomedon iam tum cecidisse? Sed fac eum interemtum esse, iis temporibus acriter pugnari solebat de caesorum ducum corporibus: itaque veri dissimillimum est Thebanos, qui ne victoriam quidem certam reportavissent, otiosos explorare potuisse quinam oculi Panoptae in clypeo Hippomedontis aperti essent, quinam clausi. Caeterum, quod valde miror, non adverterunt in hac controversia Hermannum et Firnhaberum versus 1139 sq. παρῆν δ' ἑκάστου τῶνδέ μοι θεάματα ξύνθημα παραφέροντι ποιμέσιν λόχων i. e. quum tesseram perferrem ad duces, qui in munimentis stabant, fuit mihi copia hostium uniuscuiusque insignia de muris spectandi. Eos versus non temere posuit Euripides proxime post recensitos Argivorum duces descriptaque insignia scutorum: unde sequitur vs. 1118 non solum non necessarium, sed alienum esse ab consilio Poetae: nam reliqua insignia clypeorum non magis discerni poterant „dum pugnabatur", quam oculi Panoptae:

μόλις γὰρ ἄν τις αὐτὰ τἀναγκαῖ' ὁρᾶν
δύναιτ' ἂν ἑστὼς πολεμίοις ἐναντίος".

---

1) „Diar. Antiq". a. 1835 p. 964.

Acquiescendum mihi videtur in Geelii iudicio, praeter Homerum et alios et Euripidem quandoque dormitasse.

Vs. 1155 legitur *πῦρ καὶ δικέλλας, ὡς κατασκάψων πόλιν* [1]). Recte Geel quoque praetulit *κατασκάψων* lectioni, quae est *κατασκάψω*, qua non solum thrasoniana, sed scurrilia fierent verba Parthenopaei; rectius quam fecerunt Valckenaer, Nauck, Wecklein, ipse elegit cum Hermanno *δίκελλαν* singulari numero, nam ita sunt „verba nuncii cum acerba irrisione, quasi unus homo uno ligone totam urbem eversurus esset, qui statim post haec verba lapide percussus iaceret".

Transeamus ad illos versus 1182—1186, de quibus Geel Reinwardtio scripsit. Legimus in Hartungii censura [2]): „Der Verfasser hat sich ein grosses Verdienst erworben dadurch dass er zuerst auf die Schäden dieser Stelle, die er für die allerschwierigste im ganzen Stück erklärt, aufmerksam gemacht hat". Idem vero Geelii coniecturis non assentiendum ratus aliam proponit mutationem, quam ipse „gewaltsam" dicere non dubitat. Sed exscribam versus; hi sunt:

ἐκ δὲ κλιμάκων
ἐσφενδονᾶτο χωρὶς ἀλλήλων μέλη, [3])
κόμαι μὲν εἰς Ὄλυμπον, αἷμα δ' ἐς χθόνα,
χεῖρες δὲ καὶ κῶλ' ὡς κύκλωμ' Ἰξίονος
εἱλίσσετ'· ἐς γῆν δ' ἔμπυρος πίπτει νεκρός.

Geel incepit a fine: „post miseram illam dissipationem membrorum Capanei exspectes in terram sparsa deiectum iri. Nihil horum: post rotationem *εἰς γῆν ἔμπυρος πίπτει νεκρός.* Quod corpus? quodnam cadaver? An summa collectorum membrorum? quis credet? immo totus integerque membris, nisi quod adustus erat, deturbatur in terram: itaque i n t e g r u m cadaver Capanei humare constituit Theseus in Suppl. 33 sqq. neque excogitari potest cur Euripides in duabus Fabulis, quarum argumenta tam

1) In calce editionis Weckleinianae legitur: „*δίκελλαν* EGl, *δικέλλας* Lr"; in appendice: „*κατασκάψω* in rec. libro". Valckenaer, Hermann, Geel autem scripserunt *κατασκάψω* etiam aliorum codicum esse lectionem.

2) l.l. col. 462.

3) Sc. Capanei.

affinia essent unaque traditione niterentur, eandem rem gravissimam variis modis traderet, aut tam longe recederet a pulcris Sophocleis (Antig. 134) ἀντιτύπᾳ δ' ἐπὶ γᾷ πέσε τανταλωθεὶς πυρφόρος κτέ. Narrat autem nuncius in Phoenissis, ut librariis placet, deiecta esse ex scala χωρὶς ἀλλήλων Capanei membra, μέλη, nimirum, quae statim addit, comas et sanguinem: et comae quidem εἰς Ὄλυμπον, quamquam verus Euripides dicturus erat οὐρανόν, vel simile eius quod est in Suppl. 533 ἀπῆλθε πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα, τὸ σῶμα δ' ἐς γῆν. Quis autem ista umquam bonus poeta dixit membra corporis? — Sumantur comae pro crista; audio; — quaenam vero analogia est cristae et sanguinis? Sit sanguis membrum corporis, quod αἷμα vocet Poeta: — sanguisne distillat ex carne adusta vel flagrante? coqui meliora docebunt. Porro manus et crura discerpti Capanei rotantur per aërem, ὡς κύκλωμ' Ἰξίονος. Finge tibi manum aliquam turbone sublatam; volvatur: quid in illo motu similius erit motus Ixionei, quam cuiusvis? Finxit „vanam somniantis speciem", si hoc voluit Euripides. Quam avide haec volitantia membra excepisset Statius, qui nunc prudens fuit et sobrius prae exemplo suo: ut mirer hoc non advertisse Valckenaerium, qui docte conferens Statium Theb. X. 922 sqq. substitit in huius verbis: primae fugere in nubila cristae. Verum addidit Poeta: et clypei niger umbo cadit, reliqua suo more ornans. Iam videmur aliquam correctionem tentare posse: veluti, neglecta pausa:

ἐκ δὲ κλιμάκων
ἐσφενδονᾶτο χωρὶς ἀλλήλων βέλει
κόρυς μὲν εἰς Ὄλυμπον, αἰχμὴ δ' εἰς χθόνα".

Hucusque: totus locus describendus erat, tam sagacitatis Geelii in mendis detegendis causa quam ob eius doctrinam, elegantiam, festivitatem. Mirandum neque laudandum mihi quidem videtur, quod Geel inventum suum in fine annotationis dimisit, ubi pro μέλη scribens βέλη (non βέλει) expungi vult vs. 1184: κόμαι μὲν εἰς Ὄλυμπον κτλ., quem versum additum esse putat ab aliquo, qui iam corrupto βέλη in μέλη admiscuerit

bracchiis et cruribus crines et sanguinem. Dum meliora excogitarentur, versus integer erat servandus, si coniecturae non placebant [1]).

Memorabilis est Geelii interpretatio vs. 1185: *χεῖρες δὲ καὶ κῶλ' ὡς κύκλωμ' Ἰξίονος εἰλίσσετ'*; veretur enim, „ne Veteres et Euripides Ixionem rotae annexum aliter sibi cogitaverint quam hodie multi facere soleant, ab nostris pictoribus et poetis decepti. Illi, ut puto, eum fecerunt axi rotae dorso annexum, brachiis vero et cruribus extensis ac diductis quatuor radiis alligatum, cogitantes verum rotae supplicium.... Secutus autem est Euripides eos qui rota Ixionem per aërem ferri tradiderant cf. Herc. Fur. 1295—1298. Itaque cum hac rotatione aptissime comparat Capaneum, brachiis et cruribus diductis rotatim de scala cadentem. Ixionis o r b i rotae alligati figuram repperi in Virgilii Ed. Ven. 1532 fol. 145. Exstentne antiquiores et quae fuerit vicissitudo delineationis medio aevo, doceant archaeologi".

Quaeritur, cur Geel Reinwardtio commendaverit annotationes ad hos versus et ad vss. 1114—1118, neque potius ea, quae observavit ad vss. 1369—1371, de quibus supra scripsi.

Omnibus his locis Geel tuetur Valckenaerii editionem contra Hermannum et alios, praecipue autem vss. 1369—1371; omnibus his locis corruptelas detegere et textum emendare conatur. Neque vero ex emendandi disputandique via ac ratione, quam in his versibus tractandis Geel erat secutus, causa commendationis repetenda est, sed hinc potius, quod copiosius scripsit de artibus: vss. 1114—1118 de Panoptae imagine, vss. 1182—1186 de Ixionis pictura. Hae res viri herbarii sculpturae quoque peritissimi [2]) animum magis movebant quam argutiae et rixae philologorum.

---

1) Naber („Mnemosynes" a. 1882 p. 150) vs. 1184 hoc modo corrigere conatus est: *π ν ο α ὶ μὲν εἰς Ὄλυμπον, αἷμα δ' εἰς χθονα.*

2) Cf. „Letterkundige Geschiedenis der derde Classe van het Koninklijk Nederlandsch Instituut" a. 1833 p. 2.

Paucas tantum adiungam annotationes ad eos versus pertinentes, qui sequuntur vss. 1369—1371.

Vs. 1385 Stadtmuelleri coniectura *κάμακι* [1]) pro *στόματι* in verbis, quae sunt:

εἰ δ' ὄμμ' ὑπερσχὸν ἴτυος ἅτερος μάθοι,
λόγχην ἐνώμα στόματι προφθῆναι θέλων.

supervacanea fit, si post *ἐνώμα* virgula cum Geelio ita posita, ut *στόματι* cum *προφθῆναι* iungatur, vocabulo *στόμα* cum eodem eam notionem subicimus, quae est: extremitas mucronis, „qua alter alterius oculum vel omnino frontem exstantem ferire conabatur". Affert Geel Il. l. XV. vs. 389, quo conti dicuntur *κατὰ στόμα εἱμένα χαλκῷ.*

Vs. 1430 *σὺν παρθένῳ τε καὶ προθυμίᾳ ποδός,* qui legebatur post: *ἐν τῷδε μήτηρ ἡ τάλαινα προσπίτνει* eiecerat Valckenaer [2]); Bothe [3]) vero et Klotz eum tutati erant. Ioculator Geel se hos duos non intellegere dicit „primum, cur obliti sint viri optimi *προσπίτνει* h. l. non esse a d v e n i t, tum, quodnam auxilium Antigone matri praestiterit: quae nihil facere potuit nisi dorsum Iocastae pellere: hanc enim s e c u t a e s t ad locum certaminis vs. 1279 dicens: *ἡγοῦ σὺ πρὸς μεταίχμι', οὐ μελλητέον.* „Diversissimas autem inter se res, modo ad unam causam pertineant, iungi posse, quis negat?" Ita Klotzius. Nemo sane, si b e n e iungantur. Nunc vero, quum *σὺν παρθένῳ κτἑ.* non possit significare o p e v i r g i n i s cet. sequitur nuncium dicere, Iocastam advenisse comitantibus virgine et celeritate pedis i. e. pede celeri: itaque tres festinanter advenisse: Iocastam, Antigonam et celerem pedem Iocastae. Malis sane Antigonam non intercedere Iocastae eiusque pedi celeri!"

Vs. 1582 sq.: *πολλῶν κακῶν κατῆρξεν Οἰδίπου δόμοις*
τόδ' ἦμαρ· εἴη δ' εὐτυχέστερος βίος.

1) Cuius Wecklein in calce mentionem fecit.
2) Nauck vs. 1430 totum eiecit, Wecklein uncis inclusit.
3) „Euripidis Phoenissae", Lipsiae a. 1836.

ne emendato quidem κατῆρξεν in ὑπῆρξεν placent Geelio: „Pusillum, inquit, artificium consolationis eorum qui mox in exsilium eiicientur: infra dignitatem Tragoediae, vera ironia in rebus desperatis senis caeci et miserrimae filiae, in interitu generis Oedipodei. Putarem postrema sic corrigenda esse: εἴη δ' εὐτυχὴς ἐμοὶ βίος..., nisi hoc distichon haberem pro conflato ab eo, qui aliquid a Choro hoc loco, ut alias, interponi oportere censeret. Si fecit hos versus Euripides, profecto non favit ei Musa tragica".

Vs. 1689: ἀλλ' ἓν ἦμάρ μ' ὤλβισ', ἓν δ' ἀπώλεσεν. In explicando hoc versu Geel dissentit ab interpretibus [1]), qui „sic intelligere videntur, ut una dies Oedipum beavisse et perdidisse dicatur: et Scholiastes [2]) haud male eo refert incestum Oedipi, unde reliqua mala orta sint". Non credit Graecos duplicavisse ἕν, unum eundemque diem significantes. Ovidio allato („una dies Fabios" q.s.) recte etiam hoc loco duos dies discernendos defendit, ut haec sit sententia: „illo uno die regno et bonis potitus sum, hoc uno vero omnia male me pessumdant: mortui sunt filii et uxor, patriaque eiicior".

Vs. 1761, verba νῦν ἄτιμος αὐτὸς οἰκτρὸς ἐξελαύνομαι χθονός summo iure Geel tutatus est ab incursionibus virorum doctorum.

Libri recentiores habent οἰκτρῶς, codex G νῦν δ'; praeterea nullum discrimen. Reisig autem legi vult νῦν δ' ἄτιμος οἰκτρὸς αὖ τῆσδ', Reiske pro αὐτός: ἀλαός vel γυμνός, Musgrave αὖτις, Nauck αὐτός, F. Gu. Schmidt λιτός, Blaydes οἶος; Aldina pro αὐτὸς οἰκτρὸς habet: οἰκτρὸς οἰκτρός, unde Hermann proponit οἰκτρὸς οἰκτρῶς, Blaydes ἄθλιος τῆσδ' [3]). Habes, quod optes.

Geel tantum eos repellit, qui leviores mutationes introducere student: „perperam tentatum est αὐτός, in sententia perspicua. Manifesto enim hoc dicit Oedipus: qui solus saevitiam

---

1) Inter quos Valckenaer.

2) Scholiastes pro posteriore ἓν legit ἦδ'. „Non dubito, inquit Geel, quin haec antiqua lectio orta sit ex ΩΛΒΙCΕΝΔ, in quo quum Ν et Η, ut saepe factum est, confunderet librarius, habuit Ε pro postrema verbi litera, eandemque aut ipse aut sequens descriptor elisit".

3) Cf. Appendicis Weckleinii p. 106.

Sphingis compressi, eiusque terrorem abolevi, nunc ego ipse regno et honore privatus in exsilium eiicior. Expulerat Oedipus Sphingem, nunc ipse expellitur. Hoc expedito, iure suo admitti potest Hermanni correctio οἰκτρῶς, quamquam non plane necessaria".

Hisce „non plane necessaria" leniter Hermannum postremo vituperat: sunt in Phoenissarum Commentario a manu Geelii verba postrema. Non impune Hermann [1]) scripserat Valckenaerium „modo coniecturis attrecta(re), quae sanissima s(i)nt, nunc mora(ri) lectorem alienis, nunc fatiga(re) fastidio simplicitatis importunoque ubique aliquid mutandi pruritu". Luculentissime Geel refutavit istam Hermanni accusationem, felicissime honorem nostratis philologi defendit atque vindicavit.

Sed plus fecit: optime enim multos locos difficiliores interpretatus est, nec non corruptelas passim detexit. Prosperius tamen ei res cessit iis locis, quibus traditae scripturae causam egit, quam iis, quibus coniecturas proposuit: paucae eius coniecturae emendationum locum obtinuerunt. Hoc vero commune quoddam fatum fuisse videtur eorum, qui Phoenissarum textui nostris temporibus operam dederunt, quod paucae eorum coniecturae omnium iudicio probantur.

— —

1) Praef. p. V. et VI.

EPILOGUS.

Geelium ante omnia fuisse philologum classicum, supervacaneum mihi videtur iterum demonstrare: in praefatione mea Naberi, Hamakerae, Geelii ipsius iudicia de eadem re iam attuli.

Quamquam eorum sententiae minime repugno, qui summam auctoritatem atque amplitudinem in literis patriis Geelio attribuunt, tamen contendo literas illas potius otium ac delectationem ei fuisse, cum in studiis humanioribus vitae suae tabernacula revera posuisset. Qua ex parte quodammodo potest comparari cum Courierio, qui apud Francogallos fere aequalis ei fuit, quem tamen Geel in classicis, quae vocantur, literis longe superabat.

Hoc tamquam munus sibi delatum ante oculos semper habebat, ut et ipse literas antiquas coleret et nostrates ad eas colendas excitaret. Qua in re finibus satis amplis provinciam suam circumscripsit. Neque enim, ut postea Cobet, soli fere arti grammaticae et criticae deditus erat, sed in toto literarum campo libere exspatiabatur. Quod demonstrant et eius disputationes, quae in Belgicis versantur literis, et commentationes, quibus varias antiquitatis partes illustravit. Hoc in numero laudasse suffecerit: „Historiam criticam Sophistarum", „Over den gang van het onderzoek in Oude Geschiedenis q. s.", „Het Blijspel bij de Grieken", „Over het Delphische Orakel", nec non ea quae fecit iudicia de Brouweri „Histoire de la Civilisation morale et religieuse des Grecs", de Sterkii „Over den Schrik en het Mede-

lijden in het Grieksche Treurspel", de Heusdii „Brieven over het beoefenen der Wijsgeerte". In talibus rebus, a quibus Cobeti ingenium abhorrebat, Geel, ut erat varia ac multiplici doctrina ornatus, haud infeliciter vires suas expertus est.

Plurimum autem et egit et valuit in operum antiquorum textu interpretando et emendando. In quo genere praestantissima sunt cum ea, quae egit de Xenophontis Apologia Socratis, de Stesichori Palinodia, de Aiacis vss. 646—692 aliaque opera minora, tum Dionis Olympicus, quem commentarius in reliquas Dionis Chrysostomi orationes sequitur, et Phoenissarum editio.

Opus omnium praestantissimum mea quidem sententia est Olympicus cum commentario in hanc et in reliquas Dionis orationes.

De Dionis interpretatione et emendatione Geel optime est meritus. Et Schmid in opere, cui nomen est „Der Atticismus", et De Arnim in praeclara Dionis editione valde sibi nocuerunt, quod ea fere omnino neglexerunt, quae Geel de Dionis fontibus et de eius genere scribendi observavit [1]). Qui commentarium exegeticum, quem Emper ad Dionem inchoavit [2]), ad finem perducere et edere aut ipse commentarium ad Dionem integrum componere volet, Geelii observationibus et animadversionibus maxime adiuvabitur.

Quod ad emendandum Dionem attinet, in Sectione II. demonstravi Geelio contigisse, ut multos Dionis locos corrigeret, et nunc quoque viris doctis, qui Dionis textui emendando operam dant, propter Arnimii festinationem nihil restare, nisi ut ad Arnimianam editionem, ut nunc quidem exstat, adhibeant Emperianam, quae Geelii opere et subsidiis quasi fundamento nititur. Etiam si respicimus textum ex codicibus constituendi rationem, Dionis oratio XII, quam Geel a. 1840 paravit, cum optimis editionibus certare potest.

Qua in re Phoenissarum editio, sex annis post in lucem pro-

1) Cf. Sonny l.l. p. 133 sq.
2) Cf. Sect. II. p. 72 sq.

lata, Olympico inferior est. Sed eius editionis ratio et consilium alia sunt. Fuit enim tamquam dimicatio perpetua atque universa inter Scholam, quae vocatur Leidensis, et philologos quosdam Germanos. Geelium Valckenaerii honorem atque gloriam a G. Hermanni, Klotzii, aliorum invectionibus tuta reddidisse inter omnes constat [1].

Quam saepe et quo modo Geel eiusque amici iam antea Germanorum nonnullorum impetum et superbiam propulsavissent, in prima Sectione, praecipue in ea parte, qua de Hemsterhusianis et de Bibliotheca Critica Nova agendum erat, ostendi. Recte tamen praevidit „suspicionis loco tandem succe(ssuram esse) mutua(m) volunta(tem) virtutisque ac recte faciendi aemulatio(nem)" [2]. Iam fere a. 1840 amicitia et similitudine studiorum coniunctus erat cum Germanorum viris doctissimis, quales erant Welcker, Naecke, Dindorfii, Emper, Schneidewin, Madvig, Ritschl, Lachmann, Meineke, Bergk [3], quorum alii Scholae, quae vocatur Critica, alii eius, quae Historica dicitur, asseclae fuerunt.

---

1) Cf. Sect. III. p. 118 sqq.

2) Cf. Bibl. cr. nov. vol. II. p. 319. Quibuscum consentiunt quae Niebuhr d. 13 m. Febr. a. 1827 Geelio scripsit (epistula asservatur in Tabulario Bibliothecae Leidensis): „Vous me croirez, j'espère, sans difficulté, que je désire vivement de voir s'établir entre les philologues des deux pays des rapports de bienveillance et de prédilection (?) mutuelle, et que je suis indigné des impertinences qu'une tendance opposée inspire à certains Allemands. Riverains du Rhin, puissions nous nous regarder comme amis et compatriotes. Ne nous rendez pas responsables d'injustices et d'inconvenances que nous désavouons hautement. Je voudrais que nous puissions faire connaître ces sentimens: j'oserais Vous engager, vous et vos amis, de nous accorder des communications..., mais Vos devoirs envers Votre b i b l i o t h é c a Vous en empêcheront, à ce que je crains? Si cela n'est pas, faites nous cet honneur". Vide etiam alias epistulas a Niebuhrio ad Geelium datas.

Tale quid cupivit Bergk d. 28 m. Mart. a. 1844 (literae sunt in Tabulario Bibliothecae Leidensis): „Ceterum si qui sunt ex popularibus tuis, qui commentati aliquid sunt, quem ad modum Alph. Heckerus Tuus aut Cobetus, eos etiam atque etiam roges velim, ut ad me mittant, quod inseratur his nostris Annalibus. Nam cum denuo apud Batavos antiquarum litterarum studia laetissime efflorescant, nihil nobis exoptatius esse potest, quam si ad nos quoque Germanos aliquis fructus redundaverit".

Idem Welcker et Schneidewin petiverunt. Cf. eorum epistulae, quae in Tabulario Bibliothecae Leidensis asservantur.

3) In Tabulario Bibliothecae Leidensis multae epistulae a philologis externis

Geel in studiis suis Hemsterhusium et Valckenaerium potissimum sequebatur. Ruhnkenii Scholia in Suetonii vitas edidit; passim paucorum scriptorum Latinorum locos emendavit, sed Romanos non amabat [1]).

A philosophia eaque disciplina, quam nos encyclopaediam dicere solemus, quamquam non abhorrebat, tamen non is erat, qui rationes atque consilia doctrinae philologicae exponeret. Semel tantum, in commentatione, quae inscribitur: „Over den gang van het onderzoek in Oude Geschiedenis en Letteren en deszelfs grenzen", tales res leviter attigit [2]).

Peritissimus erat eius artis criticae, quae agit de textu ipso. Attamen etiam altiori, quae vocatur, arti criticae operam dedisse eum apparet ex eius disputationibus de Telepho, de Xenophontis Apologia Socratis, de nonnullis Dionis orationibus.

In arte critica exercenda Geel minime fecit cum iis, „qui nihil divinare quum possint, ipsam divinationem despiciant", neque magis eorum esse cupivit, „qui taedii impatientes coniiciendo mederi se depravatissimis sperent aut cum laboris constantia coniungant incredibilem traditorum contemtum" [3]). In iis certe operibus, quae melioris notae sunt, locos difficiles non continuo mutare conatur, sed prius solet investigare, utrum lectionem traditam interpretatione tueri possit necne; deinde, si quem locum emendatione egere putat, virorum doctorum coniecturas diligentissime conquirere atque diiudicare; saepius postulantem eum audivimus, ut, si quis coniecturam faceret, simul exponeret, quo modo vitium oriri potuisset; perraro coniecturas in textum recipientem vidimus.

Sed codicum lectionibus parum confidebat; ignorabat genealogiam ipsorum, quos ad manum habebat, librorum manuscriptorum; ita despiciebat librarios, ut nonnumquam ante codicis

ad Geelium datae asservantur. Alias passim attuli, alias neglexi, nam hoc solum in animo habui, ut de Geelio philologo classico agerem.

1) Cf. Sect. I. p. 23 sq.

2) Cf. Sect. I. p. 22 sq.

3) Olymp. praef. p. XIII.

lectionem critici cuiusdam coniecturam, quasi maioris momenti, afferret. Quibus rebus adductus iusto maiorem coniecturarum numerum effudit; unde factum est, ut parva tantum pars eius coniecturarum emendationum vicem obtineret.

Quod praecipuam operam ponere solebat in scriptoribus illustrandis, in eo quoque veterum Batavorum vestigiis premebat. Hanc enim artem, quae in scriptis classicis explicandis, emendandis, aestimandis versatur, ancillae loco aliis disciplinis servire minime patiens, eam demum verae iustaeque philologiae nomine dignam esse putabat. „Qui has literas" — sic iam a. 1825 ii, qui Biblioth. crit nov. edituri erant, in praefatione scripserunt — „non propter ipsas coluerit, sed tamquam instrumentum ad alia quamvis gravissima disciplinarum genera illustranda retulerit, hunc quovis alio nomine gloriari patiemur, literarum nomen possessionemque non invadere sinemus."

Profecto literarum, quae vocantur classicae, saluti Geel eiusque amici strenue consuluerunt. Tutati sunt patrimonium a Scaligero, Hemsterhusio, Valckenaerio, aliis sibi relictum, cum magnis doctrinae et ingenii copiis instructi illorum in modum textus antiquos interpretari et emendare conarentur [1]).

Pauca iam addam de Geelii latinitate, antequam huic opusculo finem imponam.

Bakio, qui a Geelio petiverat, ut corrigeret, quae in praefatione quadam minus Latine dicta essent, respondit [2]): „Het schijnt,

---

1) Qua in re memoria digna sunt, quae fere a. 1846 Geel Schneidewinio videtur scripsisse (manu ipsius annotata sunt ad epistulam, quam a Schneidewinio acceperat, quae asservatur in Tabulario Bibliothecae Leidensis): „(Hecker) ist zum Praeceptor am hiesigen Gymnasium ernennt. Dieser Zuwachs von philologische(r) Kraft in unserer Mitte erfreut mich ausserordentlich. Bake Peerlkamp Cobet Hecker Pluygers Suringar machen (wenn Sie meine Wenigkeit dazu nehmen wollen) 6 + 1, denen es an Liebe für die gute Sache nicht fehlt noch an Eifer um die alte Schule aufrecht zu halten .... Nur müssen Sie vor der Hand nicht auf viel Schriftstellerei rechnen. Die Bildung der Schüler (Schule ?) geht voran. De(m) Uebel der Erschlaffung und des (Vo)rurtheiles gegen die (H)umaniora muss abgeholfen werden".

2) Literae asservantur in Bibliotheca Leidensi.

amicissime, dat gij niet overtuigd zijt, dat ik het latijn schrijven voor moeijelijk houd: mijne carrière heeft niet meegebracht dat ik er mij gestadig op kon toeleggen...." [1]).

Quae Geel Latine scripsit, multum iuvat legere: oratio eius expedita perfacile currere solet, delectat hilaritate, laetitia, ingenio. Non nisi raro sententiae nimis longae et contortae sensum obscurant, ut in Olympici praefatione.

Praeter nonnullas sententias in Olympici praefatione haec, quae legitur in praefatione Historiae criticae Sophistarum, intricatior mihi videtur: „itaque accipe,..., hanc Historiam Criticam,..., quae quantopere me exercuerit, ego scio, quantum bonae frugis afferat, in mediis erroribus, ab auctore quidem praestandis, sed in quavis certo definitoque tempore absolvenda ac fere tumultuaria scriptione vix evitandis, huius vero rei aliorum iudicium sit".

In his: „incredibile est, post quam multas disputationes virorum doctorum quam incertum sit, veteres usurpasse ἀνήρ sine articulo pro ἐκεῖνος" (Olymp. p. 410) prius illud „quam" non ineleganter dictum est pro: post tam multas disputationes. Quid vero haec significant: „quam incertum sit"? Si multi viri docti bene disputaverunt, non est incertum, sed res est certissima. Voluitne dicere: incredibile est, quam multi etiam hodie negent?

Levioris est momenti, quod „nunc" pro „tum" scripsit in his verbis: „recepto in proximum versum ἄλγιστον, nunc certe haberent lacrymae...." (Phoen. p. 211), et quod vocabulo „distichon" minus recte usus est pro: duobus versibus (Phoen. p. 231). Sed vitiosa est oratio in his: „si (Grauert) diutius operi vacarat, nobis nihil praeter laudandi provinciam reliquisset" (Bibl. cr. nov. vol. IV. p. 102); „de quanam fraude convenerint Tele-

1) De eadem re elegantissime scripsit ad Ritschelium d. 9 m. Jul. a. 1845 (exemplar huius epistulae asservatur in Bibliotheca Lugdunensi): „Und wie soll Ich es denn machen, dulcissime Ritscheli! wenn es Ihnen sogar unmöglich scheint „die innersten Sentimens" mit dem Lateinischen adaequat wiederzugeben? Immerfort lateinisch zu schreiben, und an Sie, wäre so viel als entweder keine innern Sentimens zu haben, oder die „unmogliche Kunst" zu besitzen. Ich verbitte mir dieses Dilemma, und schreibe künftig Deutsch...."

phus et Clytaemnestra" (De Telepho, p. 14), „non quaeritur an" (De Stesichori Palinodia, p. 7); „l(o)ngum esset" (Phoen. p. 80); „Valckenaerius suadebat corrigi" (Phoen. p. 86); „sive (quis) in tragoedia dicat, sive in communi vita" (Phoen. p. 209); „quidquid in aliis (Euripides) nonnumquam peccaret" (Phoen. p. 214). Nonnumquam erravit in temporum usu, velut: „omisit quaerere Reiskius, qua ratione istud vocabulum ortum sit" (Olymp. p. 189); „(Hermann) identidem commisit, ut tirones ab illis .... thesauris repelleret potius, quam doceret quo modo iis utendum sit" (Phoen. praef. p. VI.); „adscripsit Hermannus hunc primum versum in Phoenissis esse, quem Valckenaerius pro spurio habuerit" (Phoen. p. 80). „Una correctionum" scripsit pro: una ex correctionibus (Olymp. p. 96). Neque vocabulum, quod est „explicabilia", nec casus dativus ferri potest in his: „satis explicabilia verba Valckenaerii nec Matthiaeo nec Hermanno intellecta esse" (Phoen. p. 238).

Interdum vocabulis poëticis usus est, ut „dos" pro: donum; „oppido" pro: prorsus; coniecturam „incassum" tentare. Nec non haec in linguam Latinam aureae aetatis peccata sunt: senex adhuc vivens; intelligentes pro: ii, qui intellegunt; lector pro: is, qui legit; nitens pro: nixus; pro luce praesente; lecta pro: recitata; auctor pro: scriptor; versio pro: interpretatio; recensitos pro: recensos; nullibi pro: nusquam; procuratus pro: integer; „quid est absolutum κἄβλεψαν" (Phoen. p. 214) pro: absolute dictum illud κἄβλεψαν.

In prioribus Geelii operibus et commentationibus multa abstracta, quae vocantur, nomina inveniuntur, ut, quod supra ex Historia critica Sophistarum attuli: scriptio; ita: insertio, lectio, descriptio, exploratio, Sophistica pro: doctrina Sophistarum.

Sequitur viros doctos suae aetatis in his formis, quae nunc reiciuntur: reiicimur, interiici, eiicere, coniicere; demto, interemtum, in promtu, sumsit, sumto, emtor, contemtus; intelligo, negligere; lacrymae, lacrymosus; nuncius, enunciata; pulcri, pulcre, pulcerrime; Virgilius; caeteri; brachium; quatuor; quum; epistola; nequicquam; suppellex; posthumus; reperissem.

Geel praeceptoris munus numquam deseruit. Non tantum ipse studebat literis antiquis, sed etiam adulescentes ingeniosos ad eadem studia excitare solebat. „Wat Hector — ita scripsit Fruin [1]) — „van zijn zoon hoopte, dat men eens van hem zeggen zou dat hij veel beter krijgsman was dan zijn vader, dat wenschten Geel en Bake even oprecht en vurig van elken voortreffelijken student, in wien zij een geestelijken zoon zagen."

Sic Karstenium et Cobetum, ut alios omittam, Geel omnibus viribus atque opibus adiuvit. Quanto gaudio exsultavit a. 1840, cum Karsten munus professoris tandem nactus esset: „ik wanhoop van dit oogenblik af niet geheel aan het herstel van vele dingen hier te lande" [2]).

Cobeti quoque peregrinatio literarum causa suscepta Geelio debetur. Ipse a. 1849 Bakhuizenio scripsit [3]): „Toen ik de reis van Cobet bewerkt en bestuurd heb, greep ik het opgeworpen Simplicische plan van Karsten aan, maar mijn arrière pensée waren de πάρεργα van Cobet, en al het onberekenbare nut, dat hij van een 5-jarige geleerde reis zou trekken. Dit is nogal goed te regt gekomen; en dit is van alle de geringe bemoeijingen in mijn leven, de eenige, op wier uitkomst ik mij in stilte iets laat voorstaan".

Bakio et Geelio „optime de se meritis carissimis amicis studiorum fructus" Cobet et a. 1854 et a. 1873 Varias Lectiones praeclaras suas dedicavit.

Qui tam diu et ipsi feliciter operam dederant literis antiquis et oppugnatores patriae philologiae strenue propulsaverant, laeti invenerant successorem, in cuius custodia literae more maiorum cultae tutae essent futurae.

---

1) „Brieven van Cobet aan Geel" praef. p. XX. Cf. praeterea quae scripserunt Lucian Mueller (l.l. p. 97), Bakhuizen („Studien en Schetsen" vol. III. p. 426), Holwerda (in diario, quod inscribitur „de Gids", a. 1890 vol. III. p. 429).

2) Epistula asservatur in Bibliotheca Leidensi. Cf. Sect. I. p. 50.

3) Hae literae etiam Lugduni Batavorum asservantur.

THESES.

T H E S E S.

I.

Geel ante omnia fuit philologus classicus.

II.

L. Mueller contendens: „Ganz derselben Richtung zugethan (atque Bake) war Geel, von der seine Ausgabe der Phoenissen ein rühmliches Zeugniss ablegt" („Gesch. der kl. Phil. i. d. Niederl." p. 97) iniuria neglexit editionem Olympici Phoenissarum aliquanto praestantiorem.

III.

Non est probandum iudicium, quod v. c. A. E. J. Holwerda in diario, cui nomen „de Gids", a. 1890 vol. III. p. 427 protulit: „In dien tusschentijd (agitur de annis post Wyttenbachium et ante Cobetum) bewaarde de Leidsche Hoogeschool tegenover hare jongere zusters een zeker gevoel van suprematie en het is de vraag of zij werkelijk wel geheel i n z a g, dat de dagen van Scaliger en Hemsterhuis sedert lang voorbij waren. Zeker vonden e n k e l e groote mannen uit het buitenland te Leiden e e n i g e waardeering, doch andere, zooals bijv. N i e b u h r, werden soms

met een enkel woord *afgemaakt*. Ook sprak men nu eens met voorname *ironie* van de verbazende vlucht van den Duitschen geest, dan weder had men *medelijden* met die arme tobbers van de overzijde van den Rhijn". (Eas partes iudicii, a quibus dissentio, insigniore literarum forma excudendas curavi.)

Ego iudico Scholam, quae vocatur Leidensis, certe Geelium, ad philologos Germanos oppugnandos non sua sponte processisse, sed a nonnullorum Germanorum incursionibus Hemsterhusium et Valckenaerium, quorum vestigia pro viribus suis premebat, summa cum pietate tutatum esse.

IV.

Aesch. Cho. vs. 647* et Soph. O. C. vs. 229** τίνειν pro τίνεσθαι dici iniuria contendunt nonnulli interpretes.

* Aeschylea in editione Weckleiniana haec sunt:

Δίκας δ' ἐρείδεται πυθμήν·
προχαλκεύει δ' Αἶσα φασγανουργός.
τέκνον δ' ἐπεισφέρει δόμοις
αἱμάτων παλαιτέρων
τίνειν μύσος
χρόνῳ κλυτὰ βυσσόφρων Ἐρινύς.

** Apud Sophoclem legitur:

οὐδενὶ μοιριδία τίσις ἔρχεται
ὧν προπάθῃ τὸ *τίνειν*·

V.

Eur. Suppl. vs. 1064:

τί φής; τί τοῦτ' αἴνιγμα σημαίνεις *σαθρόν*;

Pro σαθρόν scribendum: *πατρί*.

VI.

Xen. Apol. § 17: ἐκείνου δὲ τί φήσομεν αἴτιον εἶναι, τοῦ πάντας εἰδέναι ὅτι ἐγὼ ἥκιστα ἔχοιμι χρήματα ἀντιδιδόναι, ὅμως πολλοὺς ἐπιθυμεῖν ἐμοί τι δωρεῖσθαι;

Inter ὅμως et πολλούς inseratur: δ έ.

VII.

Dem. π. τ. παραπρεσβ. § 27: τὴν .... προαίρεσιν αὐτοῦ τῆς πολιτείας ἀναμνησθέντες, ὡς π ρ ο β ε β λ η μ έ ν η καὶ ἄπιστος ἦν πρὸς τὸν Φίλιππον.

Male interpretantur Pape-Sengebusch προβάλλεσθαι: „sich selbst wegwerfen, den Muth verlieren, verzweifeln". Vertendum est enim προβεβλημένη: c a u t a.

VIII.

[Sen.] Oct. vs. 145 sq.:

> Mactata soceri concidit thalamis gener
> victima, tuis ne fieret hymenaeis potens.

Vocabulum t h a l a m i s immerito sollicitavit Vürtheim. („Octavia Praetexta" a. 1909.)

IX.

Val. Flacc. Argon. IV. vs. 265:

> Vigil ille metu cum pectore et a r m i s

male explicat Langen: non enim a nominativo „arma", sed ab „armi" ducendus est ablativus.

X.

Sil. It. I vs. 240 sqq.:

> Utque dati rerum freni, nunc arte paterna
> conciliare v i r o s a r m i s, consulta senatus
> vertere nunc donis.

Non est, cur assentiamur v. c. Damsté pro v i r o s a r m i s scribenti v i r o r u m a n i m o s (Diarii, cui nomen „Mnemosyne", a. 1909 p. 325.)

XI.

Min. Fel. Oct. XXXI § 2: haec enim potius de vestris gentibus n a t a sunt.

Rescribendum: r a t a.

XII.

Zonder voldoenden grond trekt Ed. Meyer („Forschungen" 2de dl. p. 333 enz.) Thucydides' mededeelingen over Cleon's houding in zake Sphacteria in twijfel.

XIII.

Mommsen's oordeel over Pyrrhus als een avonturier („Röm. Geschichte" [5] 1ste dl. p. 388: „Nichts anderes als ein abenteuernder Kriegshauptmann war König Pyrrhos".) is juister dan dat van Ihne („Röm. Geschichte" [2] 1ste dl. p. 482: „Die Gründung eines westlichen Griechenreichs in Italien und Sicilien war kein abenteuerlicher, unvernünftiger Gedanke".)

XIV.

Ten onrechte identificeert Mommsen („Röm. Staatsrecht" 3de dl. p. 238 A. 2) de termen proletarius en capite census.

XV.

In de geschiedenis der menschheid neemt de ontwikkeling van het menschelijk denken de eerste plaats in.

XVI.

De kennisleer moet zijn transcendentaal realistisch.

XVII.

Ten onrechte beschouwt Schopenhauer („Die Welt als Wille und Vorstellung", ed. Reclam 1ste dl. § 52) de muziek als de hoogste kunst.

XVIII.

De Latijnsche thema dient van het eindexamenprogram der gymnasia te worden geschrapt.

XIX.

Coëducatie is op het gymnasium toe te laten.

XX.

Het is noodzakelijk, dat zoowel de Lagere School als het Gymnasium en de H. B. S. voor die vakken, die op beide soort inrichtingen onderwezen worden, samenwerken tot aanéénschakeling.